



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

LC
24
30

Sc 24.30



Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.


(Class of 1817.)

21 May, 1898.





















DE

CASSII SEVERI ELOQUENTIA

COLUMBARIIS
Ex typis Pauli Brodard et Gallois.

DE
CASSII SEVERI ELOQUENTIA

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

PIERRE ROBERT

Scholæ Normalis olim alumnus



PARISIIS
APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—
M DCCC XC

2024.30

MAY 21 1898


LIBRARY

Salisbury fund.

DOCTISSIMO VIRO
OPTIMO MAGISTRO
GASTON BOISSIER

D. D. D.

P. R.




DE
CASSII SEVERI ELOQUENTIA

PROCEMIUM.

Cassii Severi, qui post Ciceronis ætatem novam viam ingressus est, multumque dicendo valuit, qui fortasse primum inter oratores locum tenuit, simulque, quamvis novas res non molitus esse videatur, famosis libellis familiares et amicos Augusti exagitavit, eloquentiam adumbrare et quasi lineamenta deducere nobis consilium est. Quæ igitur fuerit sub Augusti principatu insolita species eloquentiæ, et quomodo aliquot scriptores principi obstiterint, iramque ejus denique moverint ostendemus.

Hæc quidem materia exilior habenda esset, nisi nostri operis esset duas maximas res scrutari : alteram, de loquendi et scribendi libertate, quæ cum morum et civitatum historia cohæret, — hanc inspiciemus dum vitam pœnamque Severi narrabimus; alteram, de commutata eloquentiæ forma, quæ ad litterarum historiam pertinet, — illam paulo post explorabimus.



CAPUT PRIMUM.

DE CASSII SEVERI VITA ET DE LOQUENDI AC SCRIBENDI
APUD ROMANOS LIBERTATE.

Paucissima de Cassii Severi vita scimus, atque etiam quando et ubi natus sit ¹ ignoramus. « Sordidæ originis, maleficæ vitæ », ut ait Tacitus, egregius orator et scriptor acerbus, dum verbis et libellis potentissimos cives præcipueque principis familiares incessit, omnibus terrori est et in se odium incendit.


Nonium Asprenatem, ut hoc exemplo utar, Augusti amicum, veneficii accusare non dubitat, multique scriptores ² hanc audacem et vere antiquam orationem commemoraverunt.

Non solum maledictis et orationibus sed libellis homines feminasque insectatur.

Primis principatus annis Augustus his maledictis et libellis parum commotus esse videtur. Non Suetonius solus hoc ostendit, sed multi alii. Dion Cassius nos admonet de

1. Diu docti crediderunt illum Longulæ natum esse ex Plinii verbis (*Index auctorum*, libri XXXV) : « Cassio Severo Longulano ». Nunc autem sic hæc verba scribuntur : « Cassio Severo, Longulano ». Nunc arbitrantur illum circa annum 44 ante Chr. natum esse; non igitur in illum, ut alii putaverant, Horatii contumeliæ immissæ sunt (*Epod.*, VI).

2. QUINT., X, 1, 22. — PLIN., *N. H.*, XXXV, 164.



DE

CASSII SEVERI ELOQUENTIA

nunc ipse Gavium Silonem ¹ laudat; nunc L. Vinicium ². Itaque rhetores illo adstante non dubitant audacter dicere. Testis est Latro qui, Cæsare Augusto et M. Agrippa audientibus, « cum tractaret adoptionis locum, dixit: *Jam iste ex imo per adoptionem nobilitati inseritur* ³. Erat autem M. Agrippa inter eos qui non nati sunt nobiles sed facti ⁴. » Seneca hæc maximi momenti addit. « Tanta sub Divo Augusto libertas fuit ut præpotenti nunc M. Agrippæ non defuerint qui ignobilitatem exprobrarent. Utique mihi videtur admiratione dignus divus Augustus sub quo tantum licuit. » Quæ vir ille optimus scribebat, quo tempore, Augusto diu mortuo, deformis obsequii incusari non poterat.

Sed Augustus quo mitior, eo principis insectationes acerbiores erant. Ad hoc veterem, calamitatibus domesticis exacerbatum, tædium suæ clementiæ eum cepit ⁵. Multi enim hac principis clementia decepti erant, antiquamque rem publicam et antiquam libertatem adhuc florere existimaverant. Igitur mox non solum Augusti adversarii laudibus ornati fuerant, sed familiares principis et feminae et princeps ipse gravissimis maledictis lacessiti fuerant. Nonne scilicet olim cuilibet potentissimum quemque sermonibus et contione vexare licebat? Nonne olim jus principes viros incessendi infimo cuique civi dabatur? Qua contumaci

1. « Gavio Siloni Cæsar Augustus, cum frequenter causas agentem in Tarraconensi colonia audisset, plenum testimonium reddidit; dixit enim: *Numquam audiivi patrem familiæ disertiozem.* » (SEN., *Cont.*, X, præf., 14. Edit. Bursian.)

2. « *L. Vinicius ingenium in numerato habet.* » (SEN., *Cont.*, II, XIII, 20.)

3. In hoc loco edit. Kiessling sequor. — 4. SEN., *Cont.*, II, XII, 12-13.

5. Vid. EGGER, *Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste*, p. 65-66. « Mais une sorte de nécessité fatale jointe à des malheurs imprévus entraînera bientôt le principat sur la pente de la tyrannie. Devant les honteuses plaies de la maison impériale l'esprit public, déchu de tant d'espérances, se réveille par la satire, et le pouvoir ne se sent plus assez fort pour la mépriser. »

licentia sine dubio cives utebantur, antequam Octavianus nomine principis imperium accepisset, cum imperium penes cunctos cives, non apud unum esset.

Quondam hanc libertatem esse decebat; hodie vero non esse decet. Quamvis eadem vocabula magistratuum essent, civitatis status, quæ ab uno regebatur, omnino versus erat. Quæ consul Octavianus toleravisset aut saltem tolerare coactus esset, princeps Augustus non ferre poterat.

Videlicet « ferebat et ipse ¹ suffragium in tribus, ut unus e populo. Testem se in judiciis et interrogari et refelli æquissimo animo patiebatur. Amicos ita magnos et potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari jure essent quo ceteri, legibusque judiciariis æque tenerentur. » Quidam, dum viverent, muti, post mortem in dominum clamabant: non hoc vetuit, — quod vetare difficillimum esse videbatur. « De inhibenda testamentorum licentia, ne senatus quicquam constitueret, intercessit. » Sed « jocis quorundam invidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto ». Primum « sparsos de se ² in curia famosos libellos nec expavit nec magna cura redarguit: ac, ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit cognoscendum posthac de iis qui libellos aut carmina ad infamiam cujusquam sub alieno nomine edant ». Princeps, fateamur, non immoderate sua potentia utebatur ³.

Mox autem legem majestatis ad libellos transtulit. Mox Cassius Severus exsilio multatur, opera Labieni comburuntur.

1. SUET., *Oct.*, 56. — 2. *Id.*, *ibid.*, 55.

3. C. Albucius Silus non suæ temeritatis pœnas pependit. « Renunciavit foro partim pudore, partim metu. In cognitione cædis, Mediolani, apud L. Pisonem proconsulem defendens reum, cum, cohibente lictore nimias laudantium voces, ita excanduisset ut, deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam provinciæ redigeretur, Marcum insuper Brutum, cujus statua in conspectu erat, invocaret, legum ac libertatis auctorem et vindicem, pœne pœnas luit. » Verbum « pœne » in hoc loco maximi momenti est. (SUET., *de Rhet.*, VI.)

tur. Ne tamen obliviscamur hæc decreta auctoritate senatus prodita esse. Nempe hæc non displicent principi qui senatui cedere videtur. Interdum etiam senatui non consulit : Sua sponte Ovidium in orbis extremum mittere non dubitabit.

Princeps igitur Mæcenatis consilia non semper sequitur : ad ultimum irascitur et in audaces vindicat qui in libera civitate sine dubio se vivere credunt, legeque majestatis in quosdam rerum scriptores oratoresque utitur.

Ut intellegamus quam hoc grave sit, necesse est meminisse quam libertatem vel in dictis vel in scriptis antiqui semper usurpaverint. Quod nostra magnopere interest, eo magis quod hæc res semper nova, semper præsens esse videtur, continuoque renascitur, nunquamque omnino evanescit, quia scilicet non potest dissolvi et dirimi.

Si tantummodo nostræ patriæ annales evolvimus, per multa sæcula scriptores, ut scelestos, oppressos, acerrimisque pœnis multatos esse comperimus; scripta etiam, ut scelera, punita esse manuque carnificis combusta; quin etiam quædam operæ, quæ hodie perfecta habemus, olim prohibita et abolita fuisse.

Quod apud nos septimo decimo et duodevicesimo sæculo fieri solebat, apud antiquos insolenter eveniebat. Illi enim fere absolutam libertatem cognoverunt, præterquam qui rei impietatis postulabantur, ut apud Græcos Anaxagoras et Socrates; aut qui apud Romanos majestatem populi romani minuisse arguebantur; hæc vero lex, carmine non bene definito, facile in libidinem verti poterat : quod re ipsa accidit.

Si tamen Romæ manemus, non asseverandum est hanc libertatem jure plenissimam fuisse. Namque Romani non dubitaverant a civium mordacioris ingenio præcavere, et dicta scriptaque ultimo supplicio punire. Memento hanc

duram legem quam Decemviri pertulerunt : « Si qui pipulo occentasi carmenve condidit quod infame faxit flagitiumque alteri, fuste ferito ».

Quæ lex ad liberam civitatem minus idonea esse videtur ¹.

Ne dicas hanc legem fuisse inanem : Nævius enim qui, more Aristophanis, studiosus autem plebis, optimates laccessiverat, primum in carcerem conjectus est, rursusque damnatus exsilio multatus est : non igitur licebat Romæ plebeio poetæ Metellos et Scipiones verbis lædere, dum Athenis infestus plebi poeta Cleontem maledictis insectari poterat : Athenis, ut ait recte Tacitus, « non modo libertas, etiam libido impunita ² ». Quod non idem Romæ fiebat, ubi crimine imminutæ majestatis ³ primum facta, deinde fortasse verba, etiam dum res publica stabat, arguebantur. « Verumtamen est majestas, ut Sulla voluit, ne in quemvis impune declamare liceret ⁴. »

Fateor equidem re maxima libertate, etiam maxima licentia Romanos usos esse, et satirici carminis scriptores et historicos et oratores, qui jampridem, odio aut indignatione impulsî, in alios cives petulanter invehi assueverant. Hæc opinio percrebuerat legibus, legibus quoque de majestate, facta solum, non autem scripta aut dicta puniri posse. Hinc Cremulius Cordus miratur quod de majestate accusatus est quia Brutum et Cassium Romanorum ultimos dixerat. « Verba mea, exclamat, arguuntur; adeo factorum innocens

1. Vide MONTESQUIEU, *Esprit des lois*. « La disposition qui découvre le mieux le dessein des décemvirs est la peine capitale prononcée contre les auteurs des libelles et les poètes. Cela n'est guère du génie de la république, où le peuple aime à voir les grands humiliés. Mais des gens qui voulaient renverser la liberté craignaient des écrits qui pouvaient rappeler l'esprit de la liberté. » (VI, 15.) — « L'aristocratie est le gouvernement qui proscriit le plus les ouvrages satiriques. Aussi les décemvirs, qui formaient une aristocratie, punirent-ils de mort les écrits satiriques. » (XII, 13.)

2. *Ann.*, IV, 35. — 3. *Lex Appuleia de majestate* (100); *lex Varia* (90); *lex Cornelia* (81); *lex Julia* (46). — 4. CICERO, *ad Div.*, III, 11.

sum. » Atque percenset omnes qui sub Augusto historiis aut carminibus multo graviora et impunita delicta commiserant : Non quidem Labienum et Cassium Severum commemorat.

Ceterum res nobis asperior esse videtur Cremutii Cordi opinione, quippe quæ simplex non sit, sed cum multis aliis conjuncta. Tacitus quidem jure contendit non capitale fuisse Brutum et Cassium laudavisse : non autem satis est dicta, numquam punienda, a factis, quæ nonnumquam punienda sunt, generaliter segregare. Si quis enim probra turpia in viros et feminas sæpissime jacere proponet, aut verbis ad scelus et incendium cives impellere, illine licebit hoc modo causam suam defendere : « Ne minimum quidem peccatum commisi; factorum enim innocens sum »? Quid quod novis artibus (quas Tacitus futuras non præsumere poterat) probra et concitamenta millies pejora sunt hodie quam tempore Augusti et Tiberii? Sine dubio, fateamur, Tacitus acutissimo dicit : « Spreta exolescunt; si irascare, agnita videntur ». Non semper potest fieri ut quædam spernas; et si non irascare, tum maxime agnita videntur.

Hinc duræ leges venere quibus, a decemviris usque ad nostram ætatem, ii qui civitatibus præsumunt de hac re statuere conati sunt. Sed frustra : Sæpe enim non facilis est distinctio liciti salis et illicitæ contumeliæ; quisque hoc delictum varie interpretabitur; nunc omnia concessa, nunc omnia prohibita videbuntur. Quibusdam temporibus, sub umbra private dignitatis protegendæ, ullius acta ne reprehendere quidem licebit. Immodicum imperium, ut immodicæ libertati occurrat, loquendi et scribendi libertatem fere omnino abolebit. Alii igitur, ad tollendam licentiam, tollant et libertatem; alii contra ad libertatem tuendam, vindicant sibi et licentiam.

Quibus verbis non mihi in animo est hanc difficillimam litem incidere, aut patrocinium principum suscipere; tantum autem rationem reddere quemadmodum principes, in hac re ancipiti, libidine pro legibus uti potuerint, atque simul cur Romani, legum decemviralium obliti et jamdudum non solum libertati sed etiam licentiæ assueti, hac libidine attoniti et offensi fuerint.

Quicquid est, Augustus, cum in Labienum et Cassium Severum sæviit, primus de libertate romana atque etiam humana aliquid deminuisse visus est.

Re vera hoc novum erat legem majestatis in dicta et carmina transferri.

Non enim nunc agitur de prodicione aut seditionibus aut male gesta re publica, id est de omnibus his factis quæ majestatem populi romani minuebant, atque quondam in judicium veniebant; sed tantummodo de facetiis et contumeliis quæ Augustum et sanguine amicitiae conjunctos lædunt. Namque in locum populi romani se ipsum princeps subjecit. Quicquid olim ad majestatem populi, nunc ad majestatem unius hominis pertinet. Itaque non jam dicta et scripta impune sunt.

Præterea hoc quoque novum erat non solum scriptores sed scripta puniri: Primus Augustus scripta comburi jussit, quod exemplum et Tiberius in Cremutium Cordum et postea multi alii in multos alios secuti sunt. Videlicet hac stolidi pœna conscientiam, ut ait Tacitus, generis humani aboleri putabant.

Ex quo intellegere possumus hanc rem in omnium temporum memoria non minimam esse, eo magis quod celeberrimi scriptores non oratores nimiae libertatis acerbissimas pœnas primi pependerunt.

Labienus enim egregius orator et audax rerum scriptor

erat. Vide quibus verbis Annæus Seneca illum depingat. « Magnus orator ¹, qui multa impedimenta eluctatus ad famam ingeni confitentibus magis hominibus pervenerat quam volentibus. Magna debet esse eloquentia quæ invitis placeat et cum ingenia favor hominum ostendat, favor alat, quantam vim esse oportet quæ inter obstantia erumpat? Nemo erat qui non cum homini omnia objiceret, ingenio multum tribueret. Color antiquæ orationis, vigor novæ, cultus inter nostrum ac prius sæculum medius, ut illum posset utraque pars sibi vindicare. » Omnia in illum odia ardebant propter vim et libertatem; sine existimatione vivebat, nec scire possumus utrum jure an immerito minime probatus sit. « Adfectavit censorium supercilium, cum alius animo esset. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium ². Libertas tanta ut libertatis nomen excederet et quia passim ordines hominesque laniabat, Rabies vocaretur. » Principem ipsum et principatum lacesebat, nedum timeret et vereretur. « Animus inter vitia ingens et ad similitudinem ingenii sui violentus, qui pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. Memini aliquando cum recitaret historiam magnam partem illum libri convolvisse et dixisse : *Hæc quæ transeo post mortem meam legentur*. Quanta in illis libertas fuit quam etiam Labienus extimuit? » Rerum ille scriptor procax et Pompeianus qui verbis suis, magis etiam silentio iras accendebat, non clementer a principe habitus fuit. Qui enim non eis utendum censuit, quæ antea leges romanæ comparaverant. « In hoc primum excogitata est nova pœna : effectum est enim per inimicos ut omnes ejus libri comburerentur :

1. SEN., *Controv.*, lib. X, præf., 4-9.

2. Propter hoc ipsum quasi publicum odium Augustus potuit, nullo intercedente, in Labienum et, aliquanto ante, in Cassium Severum sævire.

res nova et inusitata supplicium de studiis sumi. » Hinc vitam finiendi Labienus consilium cepit. « Non tulit hanc contumeliam nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se majorum suorum ferri jussit atque ita includi, veritus scilicet ne ignis qui nomini suo subjectus erat corpori negaretur : non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. » Hinc « Cassi Severi belle dicta res ferebatur : *nunc me vivum uri oportet qui illos libros edidici* ». Hinc vehemens Annæi Senecæ indignatio in hoc novum supplicium. « Bono hercules publico ista in pœnas ingeniorum versa crudelitas post Ciceronem inventa est : quid enim futurum fuit si triumviris libuisset et ingenium Ciceronis proscribere? Facem studiis subdere et in monumenta disciplinarum animadvertere quanta et quam non contenta cetera materia sævitia est! Di melius, quod eo sæculo ista ingeniorum supplicia cœperunt quo ingenia desierant ! » His fervidis verbis respondent amplissima Philosophi Senecæ verba ² cum Cremutii cordi ingenium laudat, de quo idem postea sumptum fuit supplicium.

Labienus et Cassius Severus, quanquam Severus Labieno invisissimus dicitur ³, nobis e longinquo videntur inter se conjuncti iisdem odiis, eadem libertate fereque iisdem suppliciis. Ambo enim omnes ordines hominesque laniant; ambo oratores egregii habentur; ambo omnibus contemptui et terrori sunt : alter libellis, alter historiis senatui et principi stomachum movet.

Alterius quidem scripta primum novo supplicio comburuntur; alterius autem libellis primum lex majestatis adhibetur.

1. Annæus Seneca nos certiores facit « ejus, qui hanc in scripta Labieni sententiam dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta fuisse ».

2. *Cons. ad Marcian.*, I. — 3. *SEN., Controv.*, X, præf., 8.

Hæ inusitatæ pœnæ sub Augusto inventæ sunt.

« Μαθὼν ὅτι ¹ βιβλία ἅττα ἐφ' ὕβρει τινῶν συγγράφοιτο, ζήτησιν αὐτῶν ἐποιήσατο· καὶ ἐκεῖνα τε, τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει εὐρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων, τὰ δὲ ἔξω πρὸς τῶν ἐκασταχοθι ἀρχόντων, κατέφλεξε, καὶ τῶν συνθέντων αὐτὰ ἐκόλασε τινάς. »

Hæc res agebatur anno 763 ab Urbe condita, anno igitur nono post Christum. Num hoc potissimum anno Cassius Severus in exsilium relegatus est? Incertum est, et permagni interesset hoc non ignorare. Scimus autem ² Cassium Severum anno 32 post Christum « XXV exsilii sui anno » mortuum esse. Septimo igitur anno ³ post Christum eiectus esset e civitate. Nostri igitur oratoris exsilium inter sextum et decimum annum collocare possumus.

De eadem hac re, tempore autem non notato, sic Tacitus ⁴ scribit. Tiberius « legem majestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant: si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica majestatem populi romani minuisset. Facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis ejus, tractavit, commotus Cassii Severi libidine qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. » Tot et tantas offensas concitavit ut exsilio multatus sit, non principis arbitrio, sed senatus et jurati judicio. « Relatum ⁵ et de Cassio Severo exsule qui sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur, effecerat. »

Principe igitur Augusto Roma in insulam Cretam sub-

1. DION CASSIUS, LVI, 27. — 2. HIERONYMUS, *Eus. Chron.* — 3. EGGER (*op. cit.*, p. 68) putat has quæstiones in libellos paulo prius habitas esse. Igitur circa 758 aut 759 Severus, Labienus circa 760, nimis libertatis damnati fuissent. — 4. *Ann.*, I, 72. — 5. *Tac., Ann.*, IV, 21. — Notatione dignum est Cassium Severum non a principe sed a senatu exsilio multari.

motus est, unde sub Tiberio, anno 24 post Christum in saxum Seriphium projectus fuit.

Non enim illa prima pœna Cassius Severus victus fuerat, sed exulceratus : acerbior procacibus scriptis viros feminasque illustres, quamquam exsul, laccessiverat. Tunc regimen imperii Tiberius tenebat qui primum quidem « adversus convicia ¹ malosque rumores et famosa de se ac suis carmina firmus ac patiens subinde jactabat, *in civitate libera linguam mentemque liberam esse debere*. Et quondam senatu cognitionem de ejusmodi criminibus ac reis flagitante, *Non tantum*, inquit, *otii habemus ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis nihil aliud agi sinetis; omnium inimicitiae hoc prætextu ad nos deferentur.* »

Hanc tamen fenestram, quam Augustus aperuerat, Tiberius non claudere festinavit. Nam, ut vidimus, anno 24 post Christum de Cassio Severo exsule relatum est. Etenim « illic ² eadem acitendo recentia veteraque odia advertit; bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit ».

Hic « XXV exsilii sui anno ³ in summa inopia moritur vix panno verenda contactus » (anno 32 post Chr.).

Non est quod mireris Cassii Severi exsilium gravius factum esse tum quum « objectum est poetæ ⁴ quod in tragœdia Agamemnonem probris laccessisset; objectum et historico quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset; animadversum est in auctores scriptaque abolita, quamvis probarentur ante aliquot annos, etiam Augusto audiente recitata ».

Quod si Cassius Severus aliquot post annis vixisset,

1. Suet., Tib., 28. — 2. Ann., IV, 21. — 3. Hieronymus, Eus. Chron. — 4. Suet., Tib., 61.

scripta a Tiberio abolita a successore probata vidisset. Namque Caligula qui « imperium ¹ adeptus, populum romanum, vel dicam hominum genus, voti compotem fecit, exoptatissimus princeps maximæ parti provincialium ac militum, incendebatque et ipse studia hominum omni genere popularitatis, Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta, senatus consultis abolita, requiri, et esse in manibus lectitarique permisit ». Sive re vera populi totius romani favorem emereri cupiit, sive tantum aliter facere ac alii principes, sive suis virtutibus ostendendis gavisus est quod probra in Augustum et Tiberium divulgarentur : « quando maxime sua interesset, ut facta quæque posteris tradantur ».

1. Suet., *Calig.*, 13, 15, 16.

CAPUT SECUNDUM.

CUR ORATORES ET RHETORES ANTIQUÆ REI PUBLICÆ DESIDERIUM TENEAT.
DE SCHOLIS QUÆ LIBERTATEM DOCENT ET COMMEMORANT.

Itaque Cassio Severo accidit ut huic quæstioni in scriptores habitæ implicaretur et quasi pro libertate pateretur; contigit autem ut novam formam eloquentiæ induceret et recentium oratorum princeps videretur: quæ duæ res illius nomen ad perpetuam memoriam propagabunt.

Sed antequam Cassii Severi ingenium ponderemus, quæramus utrum Labienus et Severus a ceteris ejusdem ætatis oratoribus dissociandi sint, an tunc alii quoque principatum laccessiverint et vicem rei publicæ doluerint.

Plerique quidem cives amissam esse libertatem non angebantur. Omnes enim quot tristia et horrenda bella Italiam et Romam per quinquaginta annos vastavissent, quot atrocia mala in homines terrasque sæviissent, quot injurias, vexationes, direptionesque passi fuissent, meminerrant. Itaque fortes vel ignavi, divites vel inopes, pacem cupidissime appetebant, quamvis libertatem ipsi perdituri essent. Hanc pacem poetæ, qui tam turbido tempore vixerant, procellasque seditionum et bella, horrida bella viderant, carminibus canere, atque principem maximis laudibus extollere, qui tantis beneficiis orbem terrarum

affliciebatur, non desinebant. Lassati fractique animi dulcedinem otii libertatis periculis præferebant.

Quamvis autem nullus principi adversaretur, et hunc rerum statum abnuere auderet, quosdam tamen scriptores memoria priscae rei publicae et fortasse desiderium tenebat.

Imprimis vero oratores, cum Augustus sicut omnia alia eloquentiam pacavisset, nullam esse libertatem dicendi excruciabantur. Non enim de compositae ac quietae rei publicae commodis consentiebant; neque maxima mala e perturbata venire fatebantur. Quid eorum intererat ut omnia miscerentur, dum amplitudo rerum ingentem eloquentiae materiam tribueret? dum apud patres et plebem illustrem notitiam sibi pararent? dum illa facultate et clientelas et pecuniam et honores potentiamque acquirerent? dum clamore plausuque fruerentur? dum vim ingenii per reorum pericula ostenderent? dum discordias movere aut sedare, ad bellum aut pacem animos concitare, legem rogare aut abrogare, plebem incendere et senatum regere possent? Occurrebat illis et Cato qui acerrimo impetu Scipiones accusabat, et ipse accusatoribus resistebat; et Gracchi qui ad novas res legibus agrariis plebem vocabant; et Cicero qui eloquentia e Catilinæ faucibus civitatem eripiebat. Hujus temporis memoriam, quo oratores, in luce fori ad populum immensum contionantes, animos movebant et rerum potiebantur, quo advocati privata negotia cum rei publicae totius commodis confundebant, cum summo dolore recordabantur.

Nunc autem quæ res multitudinis suffragiis permittitur? ad quam utilitatem populi concilium convocatur? Civitas enim unius arbitrio regitur, qui paulatim omnia munia populi in se trahit, qui aut ipse magistratus efficit aut candidatos per libellos commendat. Romanus populus, qui quondam ad creandos magistratus, ad judicia ferenda,

atque ad leges sanciendas maxima potestate valebat, jam nullus erat. Imperium senatus tenebat, vel potius tenere videbatur, quippe senatum princeps in manu habebat. Mox a Tiberio « e campo comitia ad patres translata sunt ».

Quam vehementi desiderio illi disertis affligebantur, quibus non rei publicæ gubernacula tractare, sed tantummodo causas centumvirales, ne in foro quidem, in auditoriis autem et tabulariis, agere licebat! Non est mirum hujus ætatis oratores, qui negotiis gerendis orbi vivebant, antiqua libertate doluisse perdita.

Sed quo minorem eloquentiæ materiam oratores inveniabant, eo plures rhetores vigeabant, eo frequentiores ad ludos discipuli veniebant.

Superioribus temporibus, cum eminentium oratorum ingeniis Roma floreret, rhetores simul atque philosophi ex urbe expulsi erant. Postea, censore Crasso, qui ante Ciceronis tempora fortasse absolutissimus orator exstitit, in Latinos rhetores novum senatus consultum factum est. His tamen senatusconsultis prisci moris defensores Romæ ludos increbrescere et rhetores florere non prohibuerunt.

Bellis civilibus positis, ad omnes artes, præcipue ad eloquentiam maximo impetu ruunt Romani qui, tandem quieta re publica, hanc eximiam rem, qua nuper et Cicero et Calvus et Cæsar magnam laudem adepti erant, colere festinant, sed nullum locum esse forensi eloquentiæ, verso civitatis statu, fortasse obliviscuntur.

Quid enim aliud petivissent adulescentes ingenui, qui a bellis et a vita rustica abhorrebant, memoriam autem Demosthenis et Ciceronis retinebant, et qui omni liberali disciplina, latinaque et græca, politissimi, nihil nisi illorum oratorum gloriam, qui rem publicam administraverant et

ingenio nomen suum posteritati commendaverant, cupiebant?

Hinc post actiacam pugnam tanta frequentia rhetorum et discipulorum!

Veterum autem oratorum non solum eloquentiam sed etiam vitam admirabantur et sibi proferebant. Num enim poterant verba a factis disjungere? Oratorem dicendi peritum laudibus extollere, civemque rerum civilium peritissimum contemnere? Cum multi juvenes discordiarum civilium obliti fuissent, cum adulescentes horrida bella non vidissent, sed in historiis contionibusque, quas semper in manibus memoriaque habebant, vetera suspicerent, eos nimis quietæ vitæ tædium capiebat.

Adde quod argumenta, quæ in scholis agebantur, tyrannos et libertatem sæpissime opponebant. Vide enim quales suasoriæ discipulis proponantur.

« Deliberat ¹ Cicero an Antonium deprecetur. »

Audi quæ verba, quas sententias declamatores emittant. « Q. Haterius. Sciant posteri potuisse Antonio servire rem publicam, non potuisse Ciceronem. Si intellegis, Cicero, non dicit « roga ut vivas », sed « roga ut servias ». Quemadmodum autem hunc senatum intrare poteris, exhaustum crudeliter, repletum turpiter? Intrare autem tu senatum voles in quo non Cn. Pompeium visurus es, non M. Catonem, non Lucullos, non Hortensium, non Lentulum atque Marcellum, non tuos, inquam, consules Hir-tium ac Pansam? Cicero quid in alieno sæculo tibi? jam nostra peracta sunt. »

Quidam « omnem acerbitatem servitutis futuræ describere » non dubitabant, aut illos qui Cæsarem occiderant

et adversus Octavianum pugnaverant, laudibus extollere.

« Varius Geminus adhortatus est illum ad fugam.

« Illic esse M. Brutum, illic C. Cassium, illic Sextum, illic Sextum Pompeium. Quid deficiemus? et res publica suos triumviros habet. »

Quot aliæ suasoriæ, in quibus oratores et triumviros et proscriptiones exsecrantur!

« Deliberat Cicero ¹ an scripta sua comburat, promittente Antonio incolumitatem, si fecisset. »

« Crudelior est pactio Antonii quam proscriptio. Ingenium erat in quo nihil juris haberent triumviralia arma. Commentus est Antonius quemadmodum quod non poterat cum Cicerone proscribere a Cicerone prosciberetur. Hortarere te, Cicero, ut vitam magni æstimares, si libertas suum haberet in civitate locum, si suum in libertate eloquentia, si non civili ense cervicibus luerentur; nunc ut scias nihil esse melius quam mori, vitam tibi Antonius promittit. Nescio an hoc tempore vivere velis, Cicero : nemo est cum quo velis.

« Fac moriendo Antonium nocentiorum. »

Quis dubitat quin, his argumentis tractatis, oratores et rhetores et discipuli dolore et ira atque indignatione accensi sint? quin Ciceronem pro libertate morientem simpliciter admirati sint, Antoniumque et arma triumviralia detestati sint? quin se in libera civitate esse interdum crediderint? quin sibi falsas et vanas imagines finxerint?

Hinc antiquæ libertatis quoddam desiderium in scholis exoritur.

Hi autem oratores, tam graves causas cum maxima liber-

1. *Suasoria*, VII.

tate agere assueti, cum ad veros iudices, ad veras causas venirent, a luce scholæ, ut ita dicam, in umbram fori exiebant: tantum egregiæ et liberæ eloquentiæ species, quam in animis habebant, a vero statu et eloquentiæ et civitatis abhorrebat! Itaque qui apud centumviros causas orare non cupiebant, hanc tamen oratoriam artem, qua quondam et gloriam et dignitatem et utilitatem diserti assequebantur, colere volebant, in scholas redire festinabant, ubi et antiquæ eloquentiæ imaginem et quidlibet dicendi libertatem et condiscipulorum clamores plaususque inveniebant. Hic se in eam consuetudinem adducebant ut maxima vi et ingenuitate suasorias et controversias, quæ sæpius a veritate, non semper ab eloquentia abhorrebant, tractarent; ut res fictas apud non veros iudices agerent; ut sententias et divisiones, huic loco et illis audientibus aptiores, quærerent.

Ne igitur causidici vocarentur, declamatores facti sunt.

Declamatio autem, qua ad virtutes oratoris parandas antiqui utebantur, non jam exercitatio, non jam ars aliqua dicendi, sed eloquentia ipsa habita est. Quid quod oratoriæ et forensi eloquentiæ hæc declamatio præfertur? Tantum velut quædam insania omnes mentes penetravit! Olim Cicero jure dicere poterat. « Nemo studet¹ eloquentiæ nostrorum hominum nisi ut in causis atque in foro eluceat. » Nunc quidem Romani eloquentiæ plurimum student, plerisque vero non in animo est in foro elucere.

Vide Annæum Senecam qui sæpissime exquisito iudicio utitur: non quod illum vehementer reprehendam qui declamationem plurimi faciat: rhetoris enim erat artem dicendi laudibus extollere. Sed Novato et Senecæ, qui olim

1. *De Orat.*, II, 13, 55.

philosophus vocabitur, Melam anteponit, qui a negotiis publicis aversus eloquentiæ tantum, id est declamationi studet; illi majus et melius ingenium esse putat, quia ambitum et forum et honores fugit, quia in otium se refert et in portu pericula vitat. « Hæc eo ¹ libentius, Mela, fili carissime, refero, quia video animum tuum a civilibus officiis abhorrentem et ab omni ambitu aversum hoc unum concupiscentem nihil concupiscere, ut eloquentiæ tantum studeas Facilis ab hac in omnes artes discursus est; instruit etiam quos non sibi exercet. Paterno contentus ordine subduc fortunæ magnam tui partem. Erat quidem tibi majus ingenium quam fratribus tuis, omnium bonarum artium capacissimum : est et hoc ipsum melioris ingenii pignus, non corrumpi bonitate ejus, ut illo male utaris. Sed quoniam fratribus tuis ambitiosa curæ sunt foroque se et honoribus parant in quibus ipsa quæ sperantur timenda sunt, ego duobus filiis navigantibus te in portu retineo. »

Sine dubio hæc addit. « Proderit tibi in illa quæ tota mente agitas declamandi exercitatio. » Sed eum, qui bene ingenio utitur, declamatione contentum fore fatetur. Certe facilem ab hac in omnes artes discursum esse dicit; sed minus periculosum est, sed multo satius est in portu, id est in declamatione retineri.

Hoc idem multi in illa ætate putabant, qui adulescentes in scholis studebant, in quas juvenes et senes redibant : hæc erat illis vera eloquentia, non eloquentiæ præparatio. De quodam declamatore Seneca non ad vituperationem dicit : « Declamabat et tam diligenter ut putares illum illi studio parari, non per illud alteri præparari. »

In his scholis institutus est Cassius Severus.

1. SEN., *Cont.*, lib. II, præf.

Ipsē quoque in tyrannos sæpissime exsecratus est, sed fortasse magis quam alii rem in serium vertebat, quia ob vehementem facundiam angusto limite declamationis æstuabat, quia intellegebat quantam personam suscepturus esset si res publica valeret, quanta gratia floreret si vis omnis, ut olim, penes oratores esset. Ad hoc ille egregius orator, qui sponte naturæ libertatis amator erat et tyrannidis impatientissimus, humili loco ortus, potentium felicitatem ægris oculis introspiciebat et asperis facetiis nobiles homines et feminas illudere gaudebat, eo magis quod ingenio urbano et faceto præditus erat. Ex his sentiemus cur et ipse, ut Albius Silus, statum Italiæ deploraverit, Brutumque libertatis vindicem invocaverit; sentiemus cur Augusto obsistere ausus sit.

CAPUT TERTIUM.

DE ELOQUENTIA QUÆ ÆTATE CASSII SEVERI FLORUIT. DE ARTE
DECLAMATORIA ET DECLAMATORIBUS.

Quis orator fuerit Cassius Severus « orandi validus », qui, ut rhetores et rerum scriptores fatentur, illo tempore quasi principatum eloquentiæ tenuit, « viditque ¹ cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam », novaque itinera ad auditores delectandos quæsivit, mox per partes ostendere conabimur.

Non vero potest de Cassio Severo, oratore et declamatore, jure existimari, nisi vidimus quibus de causis eloquentia deminuta sit, declamatio autem increverit, aliquid etiam novi attulerit, quod attinet sive ad litteras sive ad mores. Assentior quidem Cassium Severum non magno-pere declamatione delectatum fuisse, sed tamen inter declamatores vixisse, sæpe suasorias et controversias in scholis laudatas audivisse, se ipsum quanquam invitum declamasse, et fortasse plausus, quos contemnebat, quæsivisse, atque a quibusdam vitiiis, quæ apud alios insectabatur, non semper afuisse : Ille enim orator declama-

1. Tac., *Dial.*, 19.

tionem, quamvis minime faceret et fugere vellet, non semper evitavit.

Nobis igitur inspiciendum est quæ declamatio, quæ eloquentia illo sæculo fuerit, quo justius et rectius ingenium Cassii Severi vitiis et virtutibus aliorum hujus ætatis oratorum et declamatorum metiri possimus.

§ 1. Num eloquentia illo tempore fuerit et esse potuerit.

Quid de arte declamatoria Tacitus, Petronius, Quintilianus et rhetor Seneca senserint.

Verane autem id temporis eloquentia erat? Sine dubio, verso civitatis statu, uno omnia moderante, re publica quieta id est serva, non jam, ut videtur, oratoribus locus erat, qui vi ingenii civitatem regerent et distraherent. « Magna eloquentia sicut flamma materia alitur, et motibus excitatur et urendo clarescit. » Quæ vera causa est cur eloquentia deminuta sit.

Adde quod mores in deterius lapsi sunt. « Quemadmodum autem¹ uniuscujusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si disciplina civitatis laboravit, et se in delicias dedit, argumentum est luxuriæ publicæ, orationis lascivia : si modo non in uno aut in altero fuit, sed approbata est et recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est : illo vitiatum, hoc quoque afflatur. Itaque ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse non erit dubium. »

1. L. ANNÆUS SENECA, *Epist. ad Luc.*, 114.

Adde quod recitationes in dies florent, in quibus colore sententiarum, nitore descriptionum, splendore et cultu verborum, et poetico decore auditor delectatur eloquentiaque corrumpitur; adde quod declamationes increbrescunt, atque adolescentuli male instituuntur. « Deducuntur¹ in scholas, in quibus non facile dixerim utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. »

Petronius « furias » declamatorum irridet tumidumque genus dicendi, acuteque ostendit quantum « hæ declamationes a veritate abhorreant ». Cujus rei culpam in rhetores transferre non dubitat : « Pace vestra² liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. » Nonne autem rhetores de discipulis et parentibus queri possint, ut Agamemnon Petronii? « Minimum³ in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam ni dixerint quæ adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in scholis relinquentur. » — « Parentes⁴ objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. »

Quintilianus quoque, rhetor ipse tamen, quamvis declamationem non accusare audeat, et contra probare videatur, hujus exercitationis incommoda videt. Sine dubio hæc exercitatio, inquit, « ut ex omnibus⁵ novissime inventa, ita multo est utilissima ». Noster autem rhetor quamdam correctionem his verbis adhibet. « Eo quidem res ista culpa docentium recidit ut inter præcipuas, quæ corrumpent eloquentiam, causas licentia atque inscitia declamantium fuerit. »

Fatetur hanc exercitationem continuam oratoribus peri-

1. *Dial.*, 35. — 2. *Sati.*, 2. — 3. *Ibid.*, 3. — 4. *Ibid.*, 4. — 5. *Quint.*, II, 10.

culosam fore. « Adulescentes ¹ non debent nimium in falsa rerum imagine detineri et inanibus simulacris. » Atque hæc non obscura verba addit. « Quid attinet ² tam multis annis quam in more est plurimorum (ut de his, a quibus magna in hoc pars ætatis absumitur, taceam) declamitare in schola, et tantum laboris in rebus falsis consumere, cum satis sit modico tempore imaginem veri discriminis et dicendi leges comperisse? Quod non dico quia sit unquam omittenda dicendi exercitatio, sed quia non sit in una ejus specie consenesendum. »

Quam hæc exercitatio, sine dubio utilissima, mala fieri posset, Quintilianus quidem, non autem Seneca vidit, quippe qui discipulos in falsa rerum imagine detinere voluisset, et in hoc labore consenescentes totam ætatem absumere cupivisset. Attamen Seneca ipse suum tempus eminentium oratorum ingeniis non florere fatetur; sed quamvis judicio sano plerumque utatur, admireturque Ciceronis ingenium « quod solum ³ populus romanus par imperio suo habuit », non veras corruptæ eloquentiæ causas intropicit.

Hunc quidem non fallit « in quantum ⁴ cotidie ingenia decrescant et, nescio qua iniquitate naturæ, eloquentia se retro tulerit ».

De luxu temporum et desidia juventutis fortasse jure queritur, eloquentiam autem per declamationem renasci posse, immo etiam nihil aliud nisi declamationem esse existimat. Quam ingenti alacritate de hoc novo studio loquitur « adeo novo ut nomen quoque ejus novum sit », quod post Ciceronis tempora « celebrari cœpit », et nunc « scholastica, controversia, declamatio ⁵ » appellatur !

1. QUINT., X, 5, 17. — 2. *Ibid.*, XII, 11, 15. — 3. *Controv.*, I, præf., 11. — 4. *Ibid.*, 6. — 5. *Controv.*, I, præf., 12.

Quanta admiratione, quantis laudibus illos declamatores extollit, qui in hoc inani labore totam ætatem absumunt! « Nihil illo viro, dicit Annæus ¹ de Latrone Porcio, gravius, nihil suavius, nihil eloquentia sua dignius. In illo omnes oratoriæ virtutes erant. »

Quantum autem illi declamatores sudabant et elaborabant ad plausus auditorum excitandos! Porcius Latio « cum ² se ad scribendum concitaverat, jangebantur noctibus dies et sine intervallo gravius sibi instabat nec desinebat nisi defecerat. Tantis viribus incumbere in studium ut non tantum nihil perdidisse sed multum adquisivisse desidia videretur. Sæpe cum per totam lucubraverat noctem, ab ipso cibo statim ad declamandum veniebat ³. »

Cassius Severus non aliter de declamatione sentiebat atque Petronius et Tacitus posterius arbitrati sunt: eo magis quod ægre ferebat declamationem in vicem eloquentiæ successisse, suumque ingenium in hac ignava vita torpescere et hebescere. Recentia enim tempora non subtilis operum iudex, sed orator otii impatiens, indignabatur.

Nonne autem ceteri, qui haud falso rhetorum vitia videntur, hæc majora etiam in suis scriptis ostenderunt?

§ 2. Quomodo declamationes defendi possint.

Nam veteres atque recentes, qui de hac arte scripserunt asperi, fateamur, ac fortasse asperiores exstiterunt. Sine dubio declamatores, qui materias fictas et « incredibiliter compositas », fereque semper easdem « ingentibus verbis

1. *Controv.*, præf., 13, 21. — 2. *Ibid.*, præf., 14, 17.

3. His addit Juvenalis egestatem declamatorum. (*Sat.*, VII.)
Nosse velint omnes; mercedem solvere nemo. (VII, 157.)

persequuntur » ¹, qui sæpissime puellam raptam, virum fortem, filium abdicatum, piratasque misericordes et diros tyrannos in suis controversiis ostendunt, puerilem rem agere videntur. Multi tamen qui stulte dicebant non stulte cogitabant; quidam vero « vitia sua et intellegebant et amabant » ²; quidam se « ineptam sententiam dixisse » fatebantur, ut Cestius qui hæc notatione digna addebat : « Multa dico non quia mihi placent, sed quia audientibus placitura sunt ³ ». Alii quædam « sine sensu dicunt ⁴ », ut verba verbis omnino respondeant.

Nonne autem decet pro his reis aliquid dicere atque hujus iudicii acerbiteriam mitigare? Nonne injuriosum esse videtur tantummodo errores et vitia, nunquam vero virtutes declamantium aspicere et ostendere? Quamvis enim eorum genus dicendi magnopere nobis displiceat, nonne quasdam res utiles ab illis sumere potuimus?

Nonne hæc sententia paulo durior est? « Adulterantur leges, adulterantur juris romani vocabula, adulteratur historia. Sunt ex iis materiis quædam obscenæ, sunt quæ vel sanctissimos naturæ sensus, pietatem scilicet erga parentes, ludibrio habeant ⁵. »

Primum enim neminem hoc fugit declamationem ab iis qui declamatores vocantur non inventam esse; sed multo ante, Tullii tempore, declamationes, suasorias et controversias, a domestica historia aut a fabulis desumptas, vel mente rhetorum fictas, sæpe tractatas esse. Etenim in libris rhetoricis, ut hoc exemplo utar, quos Cicero *ad Herennium* et *de Inventione* scripsit, deprehendere licet aliquot

1. TAC., *Dial.* 35. — 2. SENECA., *Controv.*, IX, 29, 11. — 3. Id., *ibid.*, 12. — 4. SEN., *Controv.*, IX, 2, 9. — 5. CHASSANG, *De corrupta post Ciceronem a declamatoribus eloquentia* (1852), p. 34-35.

argumenta a fabulis Græcis sumpta esse¹, multa vero ab argumentis declamatorum, qui postea vixerunt, non longe abhorrere. Quid quod in his libris controversias de rebus insuetis et leges fictas reperimus²?

Quod si igitur postea rhetores his argumentis insolitis et interdum stullis usi sunt, non primi hæc ceperunt, non primi peccaverunt. Sed ætate Cicëronis declamatio oratorem foro parabat, et veræ eloquentiæ splendore quasi obscurabatur; postea autem declamatio tantummodo declamationi declamatorem parabat, et veram eloquentiam suo fulgore obruebat.

Præterea ne obliviscamur, quod ad veterum studia moresque et animos pertinet, declamationes non aliquot annos sed aliquot sæcula prospere viguisse. Etenim multo post Senecam et Quintilianum declamationes in scholis non languerunt aut evanuerunt. Vixit Adriano imperatore ille Calpurnius Flaccus a quo supersunt excerptæ *Declamationes X rhetorum minorum*, quæ, brevissimæ, non sunt orationes sed potius indices, et in rebus sæpissime antea tractatis versantur. Vixit sexto sæculo post Christum Magnus Ennodius Episcopus Ticinensis, qui dictiones, Controversias aut Ethicas, in quibus nihil novi reperimus, declamavit. Fateamur igitur declamationem diutius floruisse quam ut ridiculus mos haberetur: Quippe hæ exercitationes non solum mentem delectabant, sed etiam

1. Orestes., *ad Her.*, I, 10; I, 16; *de Invent.*, I, 13, 14. — Ulysses et Ajax, *ad Her.*, I, 11; II, 19; *de Inv.*, I, 8.

2. Vide *ad Her.*, I, 11; *de Inv.*, II, 51. Navis et ægrotus. — *Ad Her.*, I, 11. Augur de pecuniis repetundis damnatus. — *De Inv.*, I, 8. Si quis sacrum ex privato surripuerit, utrum fur an sacrilegus sit judicandus. — II, 31. Vitulus Dianæ. — Hostia Lacedæmoniorum. — II, 32. Lex apud Rhodios de navibus rostratis. — II, 40. De patris mortui verbis ambiguis. — De corona aurea meretricis. — II, 49. De occiso tyranno. — II, 50. De parri-
cidii hereditate.

animum movebant; scholastici non semper argumenta inania et vana verba proferebant, sed res serias et novas, ut mox videbimus, tractabant, atque a veritate opinione minus discedebant.

Etenim quamvis hæc argumenta non admodum credibilia videantur, attamen non semper omnino ficta sunt. Quædam ex historia aut e rebus recentibus ducta sunt; aut saltem non multum a veritate discrepant. Ex quo efficitur ut hæc materiæ, quanquam specie vana, de romanæ societatis moribus nos certiores faciant ¹.

Ex his intelligitur quomodo hæc absurdæ declamationes, quas plerique tam acriter reprehendunt, quibusdam lectoribus quamdam jucunditatem aut saltem utilitatem præbere possint.

§ 3. Quid novi ars declamatoria attulerit.

Præterea multi declamatores præclaro et acuto ingenio valebant. Quibus reprehensio est oratio curiosa et putida turgidaque; sed eorum dicendi genus ornatus lætiusque

1. Hoc non fugit Saint-Marc-Girardin (*Essais de littérature et de morale*, t. II, p. 467, 1845). « Ces controverses ne doivent pas seulement être étudiées comme des exercices de rhétorique; mais il y a là aussi une trace et un souvenir des contes qui amusaient l'antiquité; ces contes, tout métamorphosés qu'ils sont en plaidoyers, contiennent cependant çà et là de curieux renseignements sur les mœurs des anciens, et sous ce rapport surtout ils méritent d'être connus. » — Vide quoque TIVIER, *de Arte declamandi et de romanis declamatoribus qui priore post J. C. sæculo floruerunt*, 1868 : « In declamationibus veras causas reperies ex historia ductas; alias quæ in foro tractari potuissent. Imo quæ sæpius finguntur in novercas et veneficas non a judiciis adeo discrepabant qua ætate vixerunt et Sasia Cluentii mater et Orestilla, aliæque in historia notatæ ut nec adulterio nec veneficio abstinentes, etiamsi ad principatum accederent » (p. 49). — « Asseverabimus effigiem sæculi pro parte sua declamantes expressisse, quod posteris usui foret. Materiæ non adeo discrepant a veritate, ex historia deductæ aut a veritate ac re. Vel in materiis inanibus sumpta e medio afferuntur exempla et ad romanæ societatis statum pertinentia » (p. 418-419).

audientium aures delectat. Oratio quidem splendidioribus verbis enitet, sed enitet. Paria quidem paribus referuntur, contraria contrariis opponuntur, longi et conclusi verborum ambitus negleguntur, sed breves et acres argutæque sententiæ effulgent. Vide, ut ex infinita exemplorum copia pauca decerpam, hanc suasoriam in qua « Trecenti Lacones contra Xersen missi, cum treceni ex omni Græcia missi fugissent, deliberant an et ipsi fugiant ¹ ». Vide quam nervose hæc declamatores dicant. « Electi sumus, non relictī. Turpe est cuilibet viro fugisse, Laconi etiam deliberrasse. O grave majorum virtutis dedecus! Lacones se numerant, non æstimant. » Omnia hæc curta maximam vim habent, ita ut nulla fere pars orationis, illis quasi luminibus illustratæ, silentio prætermitti possit.

Non solum quod attinet ad verba sed etiam ad res declamatores aliquid novi afferunt ². Minus enim superbe et aspere, leniores et subtiliores quædam persequuntur et perspiciunt quæ ad mores privatos aut officia civilia pertinent. Præterea non jam solum ad Urbem et cives romanos spectant, sed ad generis humani universam societatem.

Jus et æquitatem sæpissime opponunt. Primi fortasse scholastici nihil nisi verba contraria, mox sine dubio res diversissimas viderunt. « Hæc circa jus, illa circa æquitatem ³. » — « Hæc ad jus, illa ad æquitatem ⁴. » — « Hæc ex

1. SEN., *Suas.*, II.

2. TIVIER, *op. cit.*, p. 22-23, imprimis p. 116 : « Declamatio, cum semper nova aucuparetur, altius depressa interdum eruit; cogitatis nisi amplitudinem subtilitatem certe adjecit. In hominis natura quædam minus cognita scrutata est; in oratione tum lætius effloruit tum acriores sensus attulit, ergo et argutum et contortum dicendi genus postulantes, et quod ponderi vel copię detrahebat, acumine interdum rependit. Inde fit ut tot sensus vel a Seneca vel a Lucano prolatos, id est a schola quasi prodeuntes et declamationi proximos, tam libenter scriptores nostri mutuati sint. »

3. M. FAB. QUINT. *Declamationes quæ supersunt CXLV.* Edit. Ritter, p. 5.

4. *Ib.*, p. 26.

lege manifesta sunt, illa ex æquitate ¹. » — « Causa exigit ut æquitatem quoque legis intueamur ². » — « Divisit Latio in jus et æquitatem. Quædam in jure non scripta sed omnibus scriptis certiora sunt ³. »

Quidam verbis interpretationem adjicere non dubitant. « In omnibus legibus solam spectari oportet scribentis voluntatem. Verba enim ambigua et in plures intellectus ducta sunt, scribendarum legum causa voluntas fuit ⁴. »

Jure igitur æquitatem antiquiorem esse, sed etiam æquo jure omnes homines nasci profitentur. « Albius dixit neminem natum liberum esse, neminem servum; hæc postea nomina singulis imposuisse fortunam ⁵. »

Non modo propter mendicos debilitatos Cassius Severus exclamat : « Sic sine satellitibus tyrannus calamitates humanas dispensat ⁶. » Sed etiam Labienus potentes et reges his verbis lacescit. « Principes viri ⁷ contra naturam divitias suas exercent : castratorum greges habent, exoletos suos ut ad longiorem patientiam impuditiæ idonei sint, amputant, et quia ipsos pudet viros esse, id agunt ut quam paucissimi sint. Curare nobis in mentem venit quis ex solitudine infantes auferat perituros nisi auferantur; non curatis quod solitudines suas isti beati ingenuorum ergastulis excolunt, non curatis quod juvenum miserorum simplicitatem circumeunt et speciosissimum quemque ac maxime idoneum castris in ludum conjiciunt. In mentem vobis venit misereri horum quod membra non habeant; — quidni illorum quod habent? Et hoc genere insectatus sæculi vilia egregia figura inquinatum et infamem reum majorum criminum impunitate defendit. »

1. M. FAB. QUINT. *Declamationes...*, p. 142. — 2. *Ib.*, p. 255. — 3. SEN., p. 62. — 4. QUINT., p. 246. — 5. SEN., p. 225. — 6. *Id.*, p. 317. — 7. *Id.*, p. 322-23.

Interdum res humanas non ex commodo sed ex bono, in bello quoque, considerant. Mihi argumento est hæc declamatio de transfugis excludendis quia « non prodest neque honestum est recipere transfugas. Proximos existimo, ait declamator, esse eos transfugis a quibus transfugæ recipiantur. Hoc natura simile est facere scelus et probare ¹. »

Parentes et liberi mitioribus affectibus invicem imbui videntur, quamvis de filiis abdicatis aut parricidis sæpissime agatur. Filius quidam pauperem patrem non vult relinquere. « Amo æque paupertatem quam patrem : utrique consuevi ². » Adulescens « repudiatam matrem crimine adulterii alit. Istud quaecumque est ad filium non pertinet. Mariti mores excutiant, mariti severitatem desiderant : liberis satis est quod nati sunt ³. » Rapta abdicata quæ invito marito patrem alit dicit. « Accusas quod misereor. Patrem ali non solum oportet, verum etiam necesse est ⁴. »

Filii petunt ut sibi liceat uxorem quam velint ducere. « Nescis nostri arbitrii esse matrimonia? Affectus nostri vobis non serviunt : non potes efficere imperio ut vel amem quem velis, vel oderim ⁵. » Priscis temporibus non ita de suis mutuis juribus filii et parentes disputabant : Majestas patris sine dubio deminuta est; animi vero rudes atque feri emolliti sunt, moresque hominum mitiores evenere.

Quid quod matrimonium res gravis et seria et quasi sancta habetur, ex qua totius vitæ felicitas pendet? Quamobrem adolescentes uxores quas amant ducere volunt, hocque pactum, quod Cæsaris et Ciceronis æquales brevissimum futurum esse cupiebant, ii perpetuum fore exoptant. Audi enim hunc adolescentem qui id profitetur.

1. QUINT., p. 44-45. — 2. SEN., p. 119. — 3. QUINT., p. 297. — 4. ID., p. 404. — 5. ID., p. 417.

« Matrimonium tum perpetuum est si mutua voluntate jungitur. Cum ergo quærat mihi uxor, socia tori, vitæ consors, in omne sæculum mihi eligenda est ¹. » Qui non temere puellam secum conjungit. « In eadem domo educati sumus : novi mores, probo verecundiam, probo genus ². » Audi hunc declamatorem. « Matrimoniis scitis contineri civitatem : his populos, his liberos et successionem patrimoniorum et gradum hereditatum, his securitatem domesticam ³. » Vide quomodo matronæ lineamenta deducantur. « Matrona ⁴ quæ tuta esse adversus sollicitatoris lasciviam volet, prodeat in tantum ornata quanto ne immunda sit; habeat comites ejus ætatis qui impudicos, si nihil aliud, verecundia annorum removeere possint; ferat jacentes in terram oculos; adversus officiosum salutatorem inhumana potius quam inverecunda sit; etiam in necessaria resalutandi vice multo rubore confusa, sic se in verecundiam pigneret ut longe ante impudicitiam neget ore quam verbo. In hac servandæ integritatis custodia nulla libido irrumpet. » — « Unus pudicitiae fructus est pudicam credi et adversus omnes inlecebras atque omnia delinimenta muliebris ingenii est veluti solum firmamentum in nullam incidisse fabulam ⁵. »

Itaque adulterium et adulteros maxima vi declamatores incessunt, qui sæpe has duas materias disputant. « Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque corpus interficiat, sine fraude sit. » — « Incesta saxo dejectiatur. » Verecundiam, quæ matronam decet, castitatem, quæ puellam, non semel ex animo probant : non vero voluptatem, sed pudorem, verecundiam, virginitatem omnesque sanctissimas virtutes in prima commendatione

1. QUINT., p. 417. — 2. Id. — 3. Id., p. 24. — 4. SEN., *Controv.*, II, 15, p. 174. — 5. SEN., *ibid.*, p. 176.

ponunt. « Castitas ¹ civitati ante omnia necessaria. » Puella rapta se suspendit et, ut Lucretia, per vim oblatum stuprum voluntaria morte luit. Cujus pater exclamat : « Filia ² mea vitiata est : ob hoc periit. »

Sacerdos adulter nocentior est quam quicumque homo. « Turpius est adulterium in sacerdote ³. » Sanctissima castitas in virgine sacerdote quæritur. Hæc enim verba nonnunquam reperies : « Sacerdos casta e castis, pura e puris sit. » Quidam rhetor putat « castitatem non tantum ad virginitatem referri sed ad omnium turpium et obscenarum rerum æstimationem ⁴ ». Alius inquit : « Lex « e castis » cum dicit, hoc non tantum ad parentes refert, sed ad omnes quibus conversata est virgo ; non enim adjicit « e castis parentibus » ; sed « e castis » cum dicit vult illos a quibus venit virgo castos esse. Intellego sub hoc verbo multa. Castis cum dicit, intellego castis penatibus ; intellego castis disciplinis ⁵. » Denique « virgo vestalis rea est incesti quia scripsit hunc versum :

Felices nuptæ! Moriar nisi nubere dulce est.

« O te, exclamat rhetor, omni supplicio dignam cui quicquam sacerdotio felicius est! Incesta est etiam sine stupro quæ cupit stuprum ⁶. » Hæc est fere christiana lex cum cupere culpa habeatur.

Quin etiam rhetores quædam contemnere non dubitant, quæ sane hominem non decent, antiquis vero non magno pudori fuere. Rusticus quidam, cum filium suum parasitum invenit, « erubuit », et filium abdicat. « Si bona paterna, inquit, consumpsisses, jure abdicareris : libertatem et

1. QUINT., p. 24. — 2. ID., p. 105. — 3. ID., p. 149. — 4. SEN., *Cont.*, I, 2, p. 73. — 5. ID., *ibid.*, p. 74. — 6. SEN., *Cont.*, VI, 8, p. 408-9.

ingenuum pudorem consumpsisti. Hoc novum est et inauditum contumelias in quæstu habere et injurias pacisci ¹. »

Præterea lætos dies poetis canendos relinquunt, et tædia humanæ vitæ depingere interdum gaudent. « Quis miratur ² flere hominem? Hinc infantia incipit; in hanc necessitatem plerumque fortuna deducit. Quis enim est dies qui non triste aliquid et flebile nobis minetur? Si nullam aliam rationem lacrimarum haberemus, conspectus tamen hominum et ratio mortalitatis poterat elicere fletus. Hæ amicitiae, hæ propinquitates, hi congressus, hæc studia laudesque intra breve temporis momentum occident atque labentur. Quotus quisque transit dies quo non funus accipiamus. »

Denique, cum veteres nihil aliud nisi se ipsos suosque cives curarent, illi, quasi trans urbem et patriam, ceteros homines esse non nesciunt, totumque genus humanum quadam caritate complectuntur. Omnes a versu Terentii non dissentiunt; omnes dolentium et pauperum miserentur. Sæpe exclamant rhetores : « Misericors sum. » Sine misericordia de genere humano actum esset. « Perierat totus orbis nisi iram finiret misericordia ³. » Hunc probant juvenem qui « ad præstandam calamitosis misericordiam contumax est ⁴ »; additque : « Homo est : non vis alam hominem? » Hæc dicere gaudent : « Omnes præter istum misericordes sumus ⁵. » Qua in controversia tota de expositis debilitatis dulcissima misericordia rhetores commoventur. Quid de hac controversia dicam in qua « divitem adulescentem ⁶ abdicatos recipientem et de suo alentem » videmus? Qui enim « pastor abdicatorum » clemens

1. QUINT., p. 178. — 2. ID., p. 245. — 3. SEN., *Cont.*, I, 1, p. 58. — 4. ID., *ibid.*, p. 60. — 5. SEN., *Cont.*, X, 33, p. 316. — 6. QUINT., p. 64-69.

« contra duros et asperos patres interponit misericordiam pro sua ætate. Sumptuosus est misericordiæ. Aliquid et mendicantibus porrigit; et multos, fortunæ injuria lapsos, sustentat atque erigit. Quotiens infelicem videt aliquem et necessarii etiam victus egentem, lacrimas tenere non potest. Solus mortalium videtur usum pecuniæ intellexisse. Quid tam naturale, quid ab ipsa providentia magis datum concessumque videri potest, quam alere homines ac sustinere? »

Nonne ex his intellegimus mores mitiores factos esse? Nonne scimus leges in dies minus acerbas fuisse? Rhetores autem ad has res magno adjumento fuerunt¹: quippe qui iniquitatem, impudicitiam atque crudelitatem sæpissime insectati sint, jusque, verecundiam, castitatem et misericordiam sæpissime laudaverint².

Cassius Severus in his scholis institutus est; inter hos declamatores oratoris nomen retinuit.

1. TIVIER recte putat legibus emendandis declamatores nonnihil contulisse. « Multa dicebantur quæ, cum juris formulam excederent, paulatim mentes ad meliorem judicandi normam flecterent. » (*Op. cit.*, p. 121.)

2. Quod manifesto ostendit DENIS in suo excellenti opere, *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité*, t. II, p. 83-195 (1856). — Vide Append.

CAPUT QUARTUM.

DE CASSII SEVERI ELOQUENTIA.

§ 1. Quanti Cassium Severum Seneca, Quintilianus et Tacitus fecerint.

Etenim Cassius Severus non solum frequenter ab Annæo Seneca rhetore — quod mox persequemur, — sed, quod majus est, sæpissime a Quintiliano et non semel a Tacito commemoratus atque etiam laudatus est ¹.

Quem non inter declamatores sed inter oratores et maxime præcipuos, qui exemplo debent esse discipulis, Quintilianus ponit. « Illud ² vero utilissimum nosse eas causas quarum orationes in manus sumpserimus; et, quoties continget, utrinque habitas legere actiones : ut Demosthenis atque Æschinis inter se contrarias; et Servii Sulpicii atque Messalæ; et Pollionis et Cassii pro reo Asprenate, aliasque plurimas. » — « Tum deinde ³ efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus : hic vim Cæsaris, indolem Cælii, subtilitatem Calidii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sancti-

1. Adde : *PLIN. N. H.*, VII, 55 : « Cassio Severo celebri oratori Armen-
tarii Mirmillonis objecta similitudo est. » — *CHRON. EUS.* « Cassius Seve-
rus orator egregius... »

2. *QUINT.*, X, 1,22. — 3. *Id.*, XII, 10, 11.

tatem Calvi, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbiter Cassii reperiemus. »

Denique cum omnes rerum scriptores et oratores poetarumque percenset, qui apud Græcos et apud Romanos ingenti gloria floruerunt, dignique sunt qui ab discipulis legantur « intendentibus ut oratores fiant », post Ciceronem, Pollionem, Messalam, Cæsarem, Cælium, Calvum et Sulpicium, hæc verba de Cassio Severo scripsit. « Multa ¹, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus; qui, si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. »

Tacitus autem fatetur a Cassio Severo novam eloquentiæ formam quasi creatam esse : « Antiquorum ² admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, Cassium Severum, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via. » Primus enim « impedittissimarum orationum spatia ³, longam principiorum præparationem, narrationis alte repetitam seriem, et multarum divisionum ostentationem, et mille argumentorum gradus, et præcepta rhetorum aut philosophorum placita » quæ olim imperitum et rudem populum delectabant, nunc vero auditores studiis magis imbutos et festinantiores tædio afficerent, denique « tristem et impexam antiquitatem » relinquere cœpit. Primus « lætitia ⁴ et pulchritudine orationis, arguta et brevi sententia » iudicem allicere et tenere voluit.

Tacitus autem animadvertit et contendit « non infirmitate ingenii ⁵ nec inscitia litterarum transtulisse se ad aliud dicendi genus, sed iudicio et intellectu. Vidit namque cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque

1. QUINT., X, 4, 116.—2. *Dial.*, 19.—3. *Ibid.*—4. *Dial.*, 20.—5. *Ibid.*, 19.

ac speciem orationis esse mutandam. » Nostrum igitur oratorem, cum veteris eloquentiæ ab itineribus se avertit, erravisse existimare licet, sed illum de industria, non forte quadam, erravisse fateamur.

At enim sic judicat Aper qui antiquitatis vexandæ atque irridendæ, recentisque temporis laudibus extollendi officium suscepit. Quin immo Messala, qui veteres oratores novis anteferre non dubitat, omnibus disertis, qui postea fuerunt, eum anteponit. « Equidem ¹ non negaverim Cassium Severum, si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari. » Cui sine dubio, ut videbimus, aliquot vitia objicit, multas autem oratorias virtutes concedit.

Denique ne obliviscamur multo post Cassii Severi mortem Oratoriam Institutionem a Quintiliano compositam fuisse, qui tamen frequenter hujus sententias et verba recordatur et profert; multo post, Dialogum de oratoribus a Tacito scriptum esse, qui recentium oratorum Cassium Severum principem fuisse fatetur. Æquales quidem suæ ætatis inanis declamator quibusdam calamistris aut histriionali actione decipere, posteros autem nullus nisi vere eloquens delectare et movere potest.

§ 2. Quæ Cassii Severi oratoris virtutes fuerint.

Quæ hujus oratoris præcipuæ et peculiare virtutes fuerint, nunc inspiciamus et percenseamus.

Certe natus erat ad dicendum ille « orandi validus » quem Quintilianus Tacitusque, ut nihil de Seneca dicam, magni facere non dubitant.

Hic autem novus orator, ut in reliquis partibus a veteribus flexerat, ita eos aliquot rebus secutus erat.

1. *Dial.*, 26.

Cicero enim, in tribus dialogis *de Oratore* atque in hoc libro qui *Orator* inscribitur, oratorem omnium artium disciplinis instruendum esse fatetur; quem ne physicorum quidem vult esse ignarum. « Et fateor¹ me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis exstitisse. Positum sit in primis sine philosophia non posse effici quem quærimus eloquentem. »

Quæ igitur materia orationis est, et quasi silva rerum et sententiarum. « Sic igitur instructus Cicero ad causas veniebat. »

Sed Cassii Severi tempore hæc antiqua præcepta rhetores neglegebant, rebusque omissis tantum ornamenta discipulos docebant, qui optimarum artium studiis non satis eruditi erant. Vide enim quomodo has res, quarum oratorem Cicero vult peritissimum esse, Aper derideat. « Quod si quis² odoratus philosophiam videretur et ex ea locum aliquem orationi suæ insereret, in cælum laudibus ferebatur. »

Cassius Severus non solum præcepta dicendi colit, sed etiam eloquentiæ materiam tractat, cum summo studio in litteris versatur et multarum rerum cognitione imbuitur: quibus tot et tantis adjumentis oratorem uti posse intellegit. Hanc eruditionem non Seneca et Quintilianus mirantur, quam Tacitus contra notatione dignam esse existimat: Animadvertit enim eum « non inscitia litterarum³ » a vetere via flexisse, atque « varietate eruditionis⁴ » sequentibus oratoribus præstantiorem esse.

Ut omnes eruditione præstabat, ita ingenii acumine vincebat, quod hujus præcipuum erat. Hac re quoque Cice-

1. *Orat.*, 3, 4. — 2. *Dial.*, 19. — 3. *Dial.*, 19. — 4. *Ibid.*, 26.

ronem et veteres, qui orationi sales aspergebant, sequi tantummodo videbatur; hac re non ab antiquitate desciscebatur.

Omnes enim et disertis et rhetores discipulis sales et facetias suaserunt quæ « risum iudicis¹ movendo et illos tristes solvunt affectus et animum ab intentione rerum frequenter avertunt et aliquando etiam reficiunt et a satietate vel a fatione renovant ». Non autem omnibus contigit risum movere et facetiis uti. « Quanta sit in ea (virtute) difficultas, vel duo maximi oratores, alter græcæ alter latinæ eloquentiæ principes docent. Nam plerique Demostheni facultatem defuisse huius rei credunt, Ciceroni modum. »

Cicero quidem in suis libris sæpe hanc materiam tractavit, et sæpe sales suasit.

Sine dubio Cicero orator his salibus usus est quos Cicero rhetor laudavit suasitque, ita ut Quintilianus illum nimium risus affectatorem fuisse putaret, Aperque rotam Fortunæ et jus Verrinum irrideret.

Quæ tamen apud Ciceronem minima pars eloquentiæ fuerat, sed apud Cassium Severum non minima, maxime autem quasi præcipua videtur.

Ut Tacitus illum « lepore urbanitatis² » sequentibus oratoribus multo antecellere fatetur, ita Quintilianus de illo iudicat. « Et ingenii³ plurimum est in eo et acerbitas mira et urbanitas »; cuius tamen sales « amarus⁴ » et « asperus⁵ » esse existimat.

Ex quo intellegitur omnia genera salium apud hunc oratorem inveniri posse: et urbanitatem, et venustum, et salsum, et facetum, et jocum, et dicacitatem. Inde apparet

1. QUINT., VI, 3, 1. — 2. *Dial.*, 26. — 3. QUINT., X, 1, 117. — 4. *Id.* — 5. *Id.*, VI, 3, 27.

ingenium oratoris tam amarum fuisse quam ingenium scriptoris qui « viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat », et quamvis exsul Cretam amotus fuisset « illic eadem actitando recentia veteraque odia adverterat ».

Quorum salium exempla, in his quæ supersunt, facile ostendemus : attamen non semper hunc leporem urbanitatis, sæpius autem, amaritudinem inveniemus.

Urbanus est cum ab auditione cujusdam oratoris rediret qui uno die et græce et latine declamaverat, cumque « interrogatus ¹, quomodo dixisset; respondit : male καὶ κακῶς »; cum « dicenti ² adolescentulo : *Quid me torvo vultu intueris, Severe?* respondit : *Non mehercule quidem faciebam, sed sic scripsisti : ecce!* et quam potuit truculentissime eum aspexit ». — Urbanus est cum « objurgatus ³ a prætore quod advocati ejus L. Varo Epicureo, Cæsaris amico, convicium fecissent : *Nescio, inquit, qui conviciati sint; et puto stoicos fuisse* »; — cum « objiciente quodam ⁴ quod ei domo sua Proculeius interdixisset, respondit : *Nunquid ergo illuc accedo?* » — urbanus est cum irridens cujusdam oratoris vanitatem qui humilia verba reformidabat et « in actione ⁵ *ibericas herbas* dicebat, *spartum* eum dicere velle indicavit »; cum adversus advocatum qui in diversa subsellia transibat « *lineas poposcit* » ⁶; — cum in advocacy quadam, in qua « M. Pomponius Marcellus ⁷, sermonis latini exactor molestissimus, solæcismum ab adversario factum arguere perseverabat, ille interpellatis iudicibus dilationem petiit : *ut litigator suus alium grammaticum adhiberet; quando non putat is cum adversario de jure sibi, sed de solæcismo controversiam futuram.* »

1. SEN., *Controv.*, IX, 26, 14. — 2. QUINT., VI, 1, 43. — 3. ID., VI, 3, 78, — 4. ID., 79. — 5. ID., VIII, 2, 2. — 6. QUINT., XI, 3, 133. — 7. SUET., *de Illust. Grammat.*, 22.

Quæ urbane et venuste a nostro oratore dicta sunt. Quoties autem amare et acerbe! « Est amarum quiddam¹, quod fere in contumelia est positum, quale Cassii: *Quid facies cum in bona tua invasero? hoc est cum te docuero nescire maledicere.* »

Vide quomodo Cassius Severus oratores et declamatores lacessat et lædat. Cestius quidam declamator Ciceronem oderat et semper insectabatur. Cassius « intravit scholam Cestii² cum recitaturus esset in Milonem; Cestius ex consuetudine sua miratus dicebat: Si Threx essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Bathyllus essem; si equus, Melissio. Cassius non continuit bilem et exclamavit: *Si cloaca esses, maxima esses.* »

De Fabiano Maximo, qui putide verbo *quasi* sæpissime utebatur, « Cassius³, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: *Quasi disertus es, quasi formosus es, quasi dives es; unum tantum es non quasi vappa.* »

« Multi⁴ erant declamatores qui detracto verbo aut adjecto putarent se alienas sententias lucri fecisse. Hos aiebat Severus Cassius, qui hoc facerent, similes sibi videri furibus alienis poculis ansas mutantibus. »

Quid, quod hæc quasi crudeliter verba in reum conjicit, quæ Quintiliano⁵ non mediocriter displicent. « *Dii boni vivo: et, quo me vivere juvet, Asprenatem reum video!* »

Sæpius autem facetiis modus defuit. Utamur hac fabella quam et ipse de Cestio retulit. Parum habuit risum omnium movisse et declamatoris iram concitavisse. Quin immo eum composita indignatione persecutus est, atque minis terrere et frangere voluit. « Postulavit⁶ ut prætor nomen ejus

1. QUINT., VIII, 3, 89. — 2. SEN., *Cont.*, III, præf., 16. — 3. ID., *Cont.*, II, 12, 11. — 4. ID., *Cont.*, X, 34, 20. — 5. QUINT., XI, 1, 57. — 6. SEN., *Cont.*, III, præf., 17.

reciperet lege inscripti maleficii. Tanta illi perturbatio fuit ut advocationem peteret. Deinde ad alterum prætorem eduxit et ingrati postulavit. » Interveniant amici. « Dixit molestum se amplius non futurum si jurasset disertiozem esse Ciceronem quam se. Nec hoc ut faceret vel joco vel serio effici potuit. »

Jure dicit Quintilianus¹: « ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est ».

Noster ille orator, qui tanta admiratione Ciceronem colebat et tanta indignatione Ciceronis detrectatores lacesebat, non semper hujus de salibus præcepta servavit. « Illud admonemus² ridiculo sic usurum oratorem ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit; nec subobsceno ne mimicum; nec petulanti ne improbum; nec in calamitatem ne inhumanum; nec in facinus ne odii locum risus occupet. Parcet et amicitiiis et dignitatibus; vitabit insanabiles contumelias; tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo. » Cicero ipse non sibi tantum imperavit ut insanabiles contumelias vitare posset. Qui vero sæpissime ad vincendum facetiis utitur, Cassius Severus ad jocandum aut lacesendum. « Non bilem continet », inquit Seneca. — « Plus stomacho quam consilio dedit », ait³ Quintilianus. Itaque non semper quid deceat spectare potest: videtur ad accusationes libenter descendisse; non dubitat adversarios, non dubitat potentes lædere. « Illo tempore⁴ quo libri Labieni ex senatusconsulto urebantur: *Nunc me, inquit, vivum uri oportet qui illos edidici.* »

Quibus tamen facetiis Cassius Severus tam frequenter usus est, ut abuti visus fuerit, nec satis insulsam scurrilitatem fugitare.

1. X, 1, 117. — 2. *Orat.*, 26. — 3. *Orat. Instit.*, X, 1, 117. — 4. *SEN., Cont.*, X, præf., 8.

Itaque fatetur Quintilianus gravitatem Cassio Severo defuisse. « Si ceteris virtutibus.¹ colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. »

Contra autem Seneca rhetor « censoriam gravitatem² » huic eidem non defuisse existimat.

Quæ judicia quamvis inter se pugnent aut saltem pugnare videantur, non tamen difficile est componere. Alter enim de his quæ non semper acute et venuste sed frigide dicta sunt, de his amaris salibus, qui frequentiores fusi sunt, de hac aspera dicacitate, quæ nulli reo vel nulli adversario parcat, de hac quasi scurrilitate, quæ potius mimos deceat, imprimis cogitat. Alter qui non ignorat Cassii Severi jocos esse frequentes et vitam a gravitate abhorrentem, miratur nihilominus quod interdum, cum animo temperat, tanta severitate dicat. « Nec enim quicquam magis in illo mirareris quam quod gravitas, quæ deerat vitæ, actioni supererat : quamdiu citra jocos se continebat, censoria oratio erat. »

His autem salibus, huic dicacitati vim et vehementiam, qua ceteris terrori erat, addebat. Quibus virtutibus, si in hac re quoque modus non defuisset, antiquos oratores et maximos fortasse consecutus esset; sed non satis animo moderabatur.

Scimus igitur quam utile sit oratori affectus auditorum movere. « Erit eloquens is qui in foro causisque civilibus ita dicet ut probet, ut delectet, ut flectat. » Non nesciebat Cassius Severus urbanitate et jocis auditores delectare, quamvis sæpe dicacitas asperior fuerit : non nesciebat impetu quodam animi flectere, quamvis frequenter impotens sui fuerit. Quæ nostri oratoris vehementia non fortasse Ciceroni displicuisset.

1. QUINT., X, 1, 116. — 2. *Controv.*, III, præf., 4.

Hæc autem impotentia oratori nocet, qui non motibus animi sui imperat, atque, ira aut invidia impulsus, non dicit quid deceat, dicit quid indeceat, inimicis densos ictus acriter infligit, latusque suum præbet et adversos ictus ipse cavere negligit. Cicero quidem « magno ¹ semper usus impetu sæpe adversarios de statu omni dejiciebat ». Cassius autem Severus nimis magno usus impetu de statu suo se ipsum dejicit.

Sic enim de illo Tacitus judicat. « In magna parte ² librorum suorum plus vis ³ habet quam sanguinis. Iphis etiam quibus utitur armis incompositus, et studio ferendi plerumque dejectus, non pugnat, sed rixatur. »

Quod maximum vitium habendum est, si perfectæ eloquentiæ speciem mente complectimur; sed hæc vis, hic fervor, hic impetus adversarios terrebat. « Iratus ⁴ commodius dicebat et ideo diligentissime cavebant homines ne dicentem interpellarent. Uni illi proderat excuti: melius semper fortuna quam cura de illo merebatur. »

His vitiis et his virtutibus mentem auditorum et judicum ad arbitrium suum flectebat: quæ maxima res et summa virtus oratoris habetur. Judicem enim rapere et in quem velit habitum animi perducere, hoc est proprium opus oratoris. Erat igitur eloquens qui spiritu et impetu quodam mentes omnium inflammabat affectusque commo-

1. *Orat.*, 37. — 2. *Dial.*, 26.

3. Non approbo emendationem Heiser « plus carnis quam sanguinis ». « Vis » enim Cassii Severi ingenio aptissime respondet. Itaque apud Quintilianum (X, 1, 117) non mihi placet « et urbanitas ejus summa » (Bonnell); aut « sermo » (quidam codices); aut « sermo purus » (Meister). Potius sequar Halm qui conjectura felici dat « et fervor ». Fervor enim, ut vis, huic vehementi eloquentiæ convenit. Krüger (1874) et Hild (1885) dant quoque « fervor ». Adde quod Hild conjectura scribit « plus bilis quam sanguinis ». Quod non discrepat cum verbis Quintiliani: « plus stomacho quam consilio dedit ».

4. SEN., *Contr.*, III, præf., 4.-5.

vebat, quos ipse exprimere vellet. Cujus rei rhetor Seneca auctor est qui sæpissime Cassium Severum agentem aut declamantem audierat, « Nemo magis ¹, inquit, in sua potestate habuit audientium affectus. Verum est quod de illo dicit Gallio noster : cum diceret, rerum potiebatur. Adeo omnes imperata faciebant : cum ille voluerat, irascebantur. Nemo non ille dicente timebat ne desineret. »

Tanta arte animos delectabat! tanta vi rapiebat et ad suum arbitrium flectebat!

Timendus erat noster orator et in respondendo et in provocando, eo magis quod facillime ex tempore dicebat. Quid quod acerbior adversarios figebat cum subito responderet quam cum accuratam orationem proferret? Quid quod impetu ingenii sui pulsus, quanquam imparatus, et ceteros et se ipsum præstabat? « Ipsa ² quæ dicebat meliora erant quam quæ sciebat. Vir enim præsentis animi et majoris ingenii quam studii, magis placebat in his quæ inveniebat quam in his quæ attulerat. Ex tempore coactus dicere infinito se antecedeat. Nunquam non utilius erat illi deprehendi quam præparari. » Quod proprium est veri oratoris, qui semper ad pugnam paratus, scit quæ dicturus sit, potest autem subita verba proferre, vehementiorque et acrior apparet cum deprehenditur quam cum præparatur. « Maximus ³ studiorum fructus est et velut præmium quoddam amplissimum longi laboris, ex tempore dicendi facultas, quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia civilibus officiis renuntiabit et solam scribendi facultatem potius ad alia opera convertet. Siquidem innumera- biles accidunt subitæ necessitates vel apud magistratus, vel repræsentatis judiciis continuo agendi. Quid, cum adver-

1. SEN., *Contr.*, III, præf., 2. — 2. SEN., *Cont.*, III, præf., 4, 6. — 3. *Inst. Orat.*, X, 7, 1-3.

sario respondendum erit, fiet? Nam sæpe ea quæ opinati sumus et contra quæ scripsimus, fallunt, ac tota subito causa mutatur. » Nonne his verbis Quintilianus nostrum oratorem approbare et laudare videtur?

Hæc autem ut ita dicam extemporalitas oratori cui-cumque periculosa fuisset qui, suo ingenio fretus et confisus, omnino cessavisset. Sed industrius et strenuus Cassius habebat « diligentiam ¹, maximum etiam mediocris ingenii subsidium. Magis illum suspiceres quod diligentiam non relinquebat, cum illi tam bene temeritas cederet. » Hæc erat dicendi facultas ut uno die plures causas defenderet. « Uno die ² privatas plures agebat et ita ut alteram ante meridiem ageret, alteram post meridiem; publicam vero nunquam amplius, quam unam uno die. »

Sed illud notatione dignum esse videtur: quamvis subita felici temeritate diceret, quamvis plures orationes uno die habere posset, orationes suas maxima cura meditabatur: Hac re quoque veterum oratorum exempla sequebatur et dignus fuisset qui a Quintiliano laudaretur. « Nec immerito ³ M. Tullius stilum optimum effectorem ac magistrum dicendi vocavit. Scribendum quam diligentissime et quam plurimum. Sine hac conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit et verba in labris nascentia. »

Cassius Severus, qui subitè tam facile ex tempore occurrere potuisset, non solum maxime necessaria et initia, sed fere totam orationem scribebat. « Sine commentario ⁴ nunquam dixit nec hoc commentario contentus erat in quo nudæ res ponuntur, sed maxima parte perscribebatur actio. »

1. SEN., *Cont.*, III, præf., 6, 7. — 2. SEN., *Cont.*, præf., 5. — 3. *Inst. Orat.*, X, 3, 1, 2. — 4. SEN., *Cont.*, III, præf., 6.

Quid quod « illa quoque quæ salse dici poterant adnotabantur »? Sunt tamen plerumque frigida quæ domo orator affert.

Sed Cassius Severus meditationem extemporali facilitati conjungebat : meditabatur et scribebat orationem quasi non ex tempore dicere potuisset; ex tempore dicebat, quasi non orationem meditatatus esset. Cum utriusque rei commodis uteretur, accuratam orationem relinquere non dubitabat novasque facetias subito inveniebat. « Cum ¹ procedere nollet nisi instructus, libenter ab instrumentis recedebat. »

Recte autem meditatam orationem verbaque domo allata relinquebat : Virtutibus enim, quas adhuc singillatim executi sumus, non mirum est si, cum ageret, auditores magis commovit quam lectores, cum legeretur. « Non est ² quod illum ex his quæ edidit æstimetis; sunt quidem et hæc quibus eloquentia ejus agnoscat; auditus tamen longe major erat quam lectus. Non hoc ea portione illi accidit qua omnibus fere quibus majori commendationi est audiri quam legi, sed in illo longe majus discrimen est. » Oratores enim ardentes multo minus vigent cum leguntur quam cum audiuntur : quibus opus est clamore et plausu turbæque. Dum mentes aliorum inflammant, et ipsi acriores provocant aut respondent.

Præter hæc proceritate corporis et viribus fere omnes causidicos et declamatores supereminebat. « Tantundem erat ³ in homine quantum in ingenio : corporis magnitudo conspicua. »

1. SEN., *Cont.*, III, præf., 6. — 2. *Id.*, *ibid.*, Ed. Kiessling., 3.

3. SEN., *Cont.*, III, præf., 3. — Plinius fere idem dicere videtur cum scribit (*H. N.*, VII, 55) : « Cassio Severo celebri oratori Armentarii mirmillonis objecta similitudo est ».

Non solum varietate eruditionis et lepore urbanitatis, sed, ut Tacitus fatetur ¹, « ipsarum virium robore multum ceteros superat ».

Permultum enim intererat eum bonis lateribus esse, qui magno impetu in adversarios quasi ruebat et plures uno die causas agebat.

Ad hoc illi non deerat actio quæ est « quasi corporis ² quædam eloquentia, cum constet e voce atque motu ». Non quidem scimus quomodo motu et gestu usus sit. Si tamen quam conjecturam e vehementi eloquentia oratoris ducere licet, illius actionem plenam spiritus fuisse opinari possumus.

Quod ad vocem pertinet Seneca nos certiores facit. « Suavitas ³ valentissimæ vocis, quamvis hæc inter se raro coeant ut eadem vox et dulcis sit et solida, pronuntiatio quæ histrionem posset producere nec tamen quæ histrionis posset videri. » Quis autem nescit quanti non solum Græci, ut Demosthenes, sed Latini ut Cicero et Quintilianus actionem fecerint?

Hoc erat, Cicerone iudice, perfecto oratori optandum; hoc Cassio Severo natura dederat, cui vox suavis et solida inerat, qui quoque arte et usu pronuntiationem ad animos audientium movendos aptam addiderat.

Hæc est causa cur in sua potestate audientium affectus habuerit; hæc est causa cur auditus major quam lectus fuerit; hæc est causa cur orationis vitia virtutibus quasi operuerit.

Quem mihi videre videor corpore procerum, vocis suavis valentisque, extemporalem aut accuratam orationem dicentem; nunc suum adversarium varia eruditione opprimit,

1. *Dial.*, 26. — 2. *Cic.*, *Orat.*, 17. — 3. *Sen.*, *Cont.*, III, præf., 3.

nunc urbanis salibus figit aut amara dicacitate mordet, dum vi et vehementia audientium animos inflamat, qui omnes imperata faciunt et tantummodo timent ne dicere desinat.

Nonne hic est verus et egregius orator, nonne hic veteris et perfectæ eloquentiæ viam sequitur? Minime.

§ 3. Quæ Cassii Severi oratoris vitia fuerint.

Quemadmodum illas virtutes quas laudavi, ita hoc vitium quod non abdidit habebat : quippe res omnes sine modo ac modestia agebat. Non acutus et venustus ludebat, sed acerbus et asper laniabat. Non solum ceteros et se ipsum vehementer commovebat, sed effrenata vi efferebatur. « Omissa ¹ modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompotus, studio ferendi plerumque dejectus, non pugnat, sed rixatur. » Quæ intemperantia, quam non semel invenimus et ostendimus, suam imminuebat eloquentiam, iisdemque displicebat, quos paulo ante urbanitate et impetu delectaverat.

Ut igitur accusationibus præclarus est, ita solam suam causam feliciter suscepit. « Nec tamen ² scio quem reum illi defendere nisi se contigerit : adeo nusquam rerum ullam materiam dicendi nisi in periculis suis habuit. » In suis periculis, credo, melius se ipsum continebat; in ceteris temporibus impotenter dicebat.

Qua re primum a vetere eloquentia desciverat.

Deinde, quod majoris momenti est, « ordinem ³ rerum contemnit ». Hac virtute, sine qua omnes aliæ ingenii virtutes nihil valent, Cassius Severus caruisse videtur, qui

1. TAC., *Dial.*, 26. — 2. SEN., *Contr.*, præf., 5. — 3. TAC., *Dial.*, 26.

non satis intellexit probare necessitatis esse, argumentaque sine dispositione infirma esse ad probandum. Ut autem argumenta proprio loco collocentur, necesse est orator totam rem complectatur et partis cujusque quasi pondus aestimet. Hoc iudicium, hæc sapientia illi defuit.

Quamque vero partem maxima diligentia tractat, quamque maximi putare videtur, nec unquam sinit audientium mentem quiescere. « Nemo ¹ minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse; nulla pars erat quæ non sua virtute staret, nihil in quo auditor sine damno aliud ageret, omnia intenta, aliquo petentia. » Res autem tota non fidem auditoribus facit, qui, sæpe delectati et moti, non argumentorum ordinem conspiciunt.

Quid quod noster non semper eadem felicitate fruitur, cum his singulis locis incumbit? Quemadmodum enim Tacitus « contemptum ordinem rerum » vituperat, ita Seneca ejus declamationes « inæquales » esse fatetur. Dicit : « declamationes ». Nonne autem hoc vitium ad actiones, quæ non supersunt, ut simile veri est, cadere potest? His addit quidem : « Sed ² ea quæ eminebant in quacumque declamatione posuisses, inæqualem eam fecissent ».

Hoc certe ad universam totius orationis dispositionem spectat, de qua nunc non existimari potest.

Sed unius peculiaris loci dispositionem judicare licet. In hoc enim loco, quem Seneca ³ profert, reprehendam Cassium quod suam orationem modo scholastico explicet vel potius amplificet, et nimis facili enumeratione disserat.

Hoc igitur illi explicandum est. « Magna et varia res est

1. SEN., *Cont.*, III, præf., 2. — 2. *Cont.*, III, præf., 18. — 3. *Ibid.*, 8-12.

eloquentia neque adhuc ulli sic indulsit ut tota contingeret; satis felix est qui in aliquam ejus partem receptus est. »

Quod igitur ut explicet, magna ingenia exponit et percenset quæ tantummodo in uno opere eminuerunt.

« Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit; Vergilium illa felicitas ingenii in oratione soluta reliquit; orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur; eloquentissimi viri Platonis oratio quoque pro Socrate scripta nec patrono nec reo digna est. »

Hoc ad ingenia attinet; deinde corporis vires percenset.

« Hoc non ingeniis tantum, sed corporibus videris accidere, quorum vires non ad omnia quæ viribus efficiuntur aptæ sunt. »

Deinde sequitur enumeratio.

« Illi nemo luctanti par est; ille ad tollendam magni ponderis sarcinam prævalet; ille quicquid adprehendit non remittit, sed in proclive nitentibus vehiculis moraturas manus inicit. »

Post corporis vires animalia persequitur.

« Ad animalia veni : alii ad aprum, alii ad cervum canes faciunt; equorum non omnium, quamvis celerrimi sint, idonea curricula velocitas est; quidam melius equitem patiuntur, quidam jugum. »

Dehinc ad histriones et gladiatores venit. « Ut ad meum te morbum vocem, Pylades in comœdia, Bathyllus in tragœdia multum a se aberant;

« Numenio¹ cum velocitas pedum non concedatur tantum, sed objiciatur, lentiores manus sunt; quidam cum hoplomachis, quidam cum Threcibus optime pugnant, et quidam sic cum scœva² componi cupiunt quomodo aliti sunt. »

1. Burs. scribit « Numenio »; Kiessling « cognomini meo ». Totus hic locus difficillimus est. — 2. « Cum scœva » Kiessling. Bursian scribit « in scena ».

Quis autem non intellegat hanc enumerationem perfacile fere infinitam esse, cum orator et omnia animalia et omnia ingenia percensere possit?

Denique ad orationem pervenit, cujus paucas quidem partes percurrit; ad oratores aut declamatores suæ ætatis, quorum quidem tantummodo duos designat.

« In ipsa oratione quamvis una materia sit, tamen ille qui optime argumentatur, neglegentius narrat; ille non tam bene implet quam præparat.

« Passienus noster cum cœpit dicere, secundum principium statim fuga fit, ad epilogum omnes revertimur, media tantum quibus necesse est audiunt.

« Silo Pompeius sedens et facundus et litteratus est et haberetur disertus si a prælocutione dimitteret; declamat tam male ut videar belle optasse cum dixi : nunquam surgas. »

Conclusio : Non mirandum est « eundem non æque bene declamare quam causas agere aut eundem non tam bene suasorias quam judiciales controversias dicere ».

Sed ex hac ratione, quemadmodum omnes res omniaque animalia percensere, ita singillatim omnes partes eloquentiæ omnesque oratores enumerare potuisset.

Ne igitur plura dicam, hanc enumerationem vere scholasticam esse existimo.

Seneca quidem hæc addit verba : « Iniquum ¹ tamen erit ex his eum æstimari quæ statim subtexam : non enim hæc ille optime dixit, sed hæc ego optime teneo ».

1. *Cont.*, III, præf., 18.

§ 4. De genere dicendi.

« Cum ¹ autem, ait Cicero, quid et quo loco dicat orator invenerit, illud est longe maximum videre quonam modo. » Putant enim antiqui elocutionem partem operis oratorii difficillimam et maxime propriam oratoris esse.

Quæ fuerit Cassii Severi elocutio, perspiciamus.

I. *Quod genus dicendi in Cassii Severi ætate floruerit.*

Quam Cassii Severi elocutionem esse magna ex parte generi dicendi similem, quod tempore illius florebat, necesse est.

Aliquid autem est proprium orationis quæ post perfectissimæ eloquentiæ ætatem viget. Optimi enim scriptores, qui in illis temporibus vixerunt, fere primi apparuerunt, atque ideo locos communes, quos omnes homines animo facile percipiunt, præoccupaverunt, et res verissimas circumscripte et copiose amplificaverunt. Qui perpetui et universi generis quæstionem tractare, et numerose dicere, atque omnes quasi in quadrum redigere sententias non dubitavere. Auditores vero fusa et lata oratione, concluso et amplo verborum circuitu delectaverunt. Cum omnia sint quasi recentia, summam rei longo et lento ordine explicare potuerunt.

Quid autem sequentes scriptores facient? quid dicent? et quomodo?

Non enim easdem res universas et veras repetere, eodemque verborum ambitu rursus uti possunt. Nempe

1. *Orat.*, 16.

auditores et oratores hujus fusæ eloquentiæ, illius universæ quæstionis tædium caperet.

Licet cum Seneca quærere « quare¹ quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio; et quomodo in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, et in morem cantici ducta; quare alias sensus audaces et fidem egressi placuerint; alias abruptæ sententiæ et suspiciosæ, in quibus plus intellegendum esset quam audiendum; quare aliqua ætas fuerit, quæ translationis jure uteretur inverecunde. »

Quæ autem causa est cur scriptores nova et sæpe pejora invenire cogantur? cur semper « commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captetur? »

Nempe quia res assuetæ animis satietatem afferunt. « Cum² assuevit animus fastidire quæ ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt, etiam in oratione, quod novum est quærit: et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert; modo fingit ignota ac deflectit; modo id, quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio ac frequens ».

Itaque, post perfectissimæ orationis tempora, alii ne antea dicta et pervulgata decantent, inopinata omnibus, quæ sæpe portenta videntur, dicunt; aut falsa et inania, contra fere omnium opinionem, contendunt; aut immodica et nimia explanant; aut vera, supra modum et ultra quam satis est, affirmant. Oportet enim auditores capiantur et admiratione afficiantur.

Alii, cum de genere toto summatim loqui nolunt, minimas rei partes scrutantur et exponunt; non in unum, sed subtiliter persequuntur, quæ antiqui neglexe-

1. *Epist. ad Luc.*, 114. — 2. SEN., *Epist. ad Luc.*, 114.

rant et contempserant; in rerum tenuitatem descendunt; et ipsi exiles humiliter sentiunt, sensiculosque quasi minutos inveniunt, atque eloquentiam amputare videntur.

Alii novum genus dicendi, quod, a subtilitate et copia abhorrens, poetico cultu et quæsita brevitate effulget, prosequuntur et afferunt. Orationem enim conclusam et amplam contemnunt, sed abruptam amant; minute sententias concidunt.

Quæ vitia non illius temporis hominibus displicebant. « Multos tibi dabo quibus vitia non nocuerint; quosdam quibus profuerint. Dabo, inquam, maximæ famæ et inter miranda propositos; quos si quis corrigit, delet: sic enim vitia virtutibus immixta sunt, ut illas secum tractura sint. »

Jure optimo Seneca hæc vitia defendit, cujus « dulcia vitia », judice quidem Quintiliano, genus dicendi corruperunt. Quicquid id est, ille qui « rerum pondera¹ minutissimis sententiis fregit » suæ ætatis eloquentiam perfectissime exprimit. Attamen reprehendit, nedum laudet nimia vitia quibus tam multi scriptores peccant. Non illi placent « qui verbis splendidis utuntur, ac sonantibus et poeticis, necessaria et in usu posita vitant ». Non probat compositionem Ciceronis « devexam et molliter desinentem »; non probat præfactam et asperam compositionem ». Non probat sententias non tantum « si aut pusillæ sunt et pueriles, aut improbæ et plus ausæ, quam pudore salvo licet; sed si floridæ sunt et nimis dulces; si in vanum exeunt, et, sine effectū, nihil amplius quam sonant ».

Jampridem vero novi scriptores et oratores sententias pueriles aut floridas; præfractam et asperam compositionem; verba splendida et poetica consecantur.

1. *Inst. Orat.*, X, 1, 130.

Quod si autem apta et finita pronuntiare nolunt, quod si orationem dissolvunt, et verborum ambitum infringunt, circa minimas partes morantur, plurimum studii in minimis consumunt, unicuique sententiæ, unicuique verbo unice student, singula denique curant, ita ut summa rei turbetur, et neglegatur aut neglegi videatur; ita ut auditoris animus, minimis rebus et singulis orationis membris delectatus, atque multis luminibus perstrictus, non totum videat et intellegat.

Attamen Senecæ rhetori in animo est his verbis Cassium Severum laudare, ex quibus apparet quid proprium sit hujus orationis quæ in hac ætate floruit. « Nemo minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse; nulla pars quæ non sua virtute staret; nihil in quo auditor sine dāmno aliud ageret; omnia intenta, aliquo petentia. »

II. *Sententiæ. Genus dicendi lectum et concitatum, nec copiosum, nec numerosum.*

Ut igitur ejus ætatis oratores, et ipse Cassius Severus « longam¹ principiorum præparationem, multarum divisionum ostentationem et mille argumentorum gradus », et ordinem rerum contemnit, sententias autem exquirat, id est hæc « lumina² præcipue in clausulis posita: quæ minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent ». Quæ adulescentes et discipuli probant et admirantur, « traduntque, invicem³ ac sæpe in colonias et provincias suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit ». Quod est, ut vidimus, in hac ætate proprium orationis. Sententias enim, quas poetæ carminibus mis-

1. Tac., *Dial.*, 19. — 2. *Inst. Orat.*, VIII, 5, 2. — 3. *Dial.*, 20.

cent, philosophi disputationibus, rerum scriptores narrationibus, non mirum est si oratores orationibus suis large effuseque intexuerunt, cum auditores, litteris eruditi et in foro aut in auditoriis viventes, imprimis his ornamentis retinendi et delectandi sunt.

Adde quod illi auditores ex officinis rhetorum exierunt, recitationesque laudant et sequuntur, recitatores et ipsi. Adde quod recitatores ardenti certamine in dies pulchriorem et ornatiorem orationem, sententiasque crebriores argutioresque invenire nituntur. Quis eo tempore nudam et lentam antiquitatem tulisset? Quamobrem Cassio Severo oratio inerat « ingentibus¹ plena sententiis ». Ne autem hoc obliviscamur « vivæ sententiæ² ».

Necesse est hoc aliquot exemplis confirmemus? « Deinde³ vis verum quare non moriar? Interim quia puto te velle. »

« Adhibeturque⁴ ad ea magistratus ob custodiam, non ob lætitiā. »

« Non illi⁵ pejus dicunt, sed hi corruptius judicant. »

Orationem igitur habebat « cultu valentem⁶ » ut consuetudini ætatis suæ obsequeretur, « ardentemque et concitatam⁷ », ut ingenio suo indulgeret.

Habebat « phrasin⁸ non vulgarem nec sordidam, sed lectam, genus dicendi non remissum aut languidum, sed ardens et concitatum, non lentas nec vacuas explicationes, sed plus sensuum quam verborum habentes ».

Ut exemplis utar: « Nescio⁹ qui conviciati sint; et puto stoicos fuisse ».

« Quid facies¹⁰ cum in bona tua invasero? cum te docuero nescire maledicere? »

1. SEN., *Cont.*, III, præf., 2. — 2. *Id.*, *ibid.*, 18. — 3. *Cont.*, VII, 18, 10. — 4. *Cont.*, IX, 25, 12. — 5. *Cont.*, III, præf., 15. — 6. *Cont.*, III, præf., 2. — 7. *Ibid.*, 7. — 8. *Ibid.* — 9. QUINT., *Inst. Orat.*, VI, 3, 78. — 10. *Id.*, *ibid.*, VIII, 3, 89.

Attamen ille orator, qui lectum et ardens genus dicendi habet, non fusus et latus nobis apparet. « Quanquam in magna parte librorum suorum, ait Tacitus, plus vis habeat quam sanguinis. » Quintilianus fatetur illi « colorem defuisse ¹ ». Caret igitur hac ubertate, hac amplitudine sine qua non est vera eloquentia.

Quin immo adjice ² « compositionem asperam et quæ vitaret compositionem ». Oratori autem non solum est utile sed necessarium, ut Ciceronis verbis utar, « collocari verba ³ aut ut inter se quam aptissime cohæreant extrema cum primis, eaque sint quam suavissimis vocibus; aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut comprehensio numerose et apte cadat ». Hinc fit numerosa oratio; hinc ille numerus qui audientium aures delectat. Non sunt vere eloquentes qui infracta et amputata loquuntur.

Ex his apparet multas quidem virtutes orationi Cassii Severi fuisse, sed copiam et numerum, id est duas partes eloquentiæ necessarias, defuisse.

§ 5. Quæ Cassio Severo placuerint.

Qualis esset Cassii Severi eloquentia, fere ex his quæ laudabat colligere possemus.

Laudat enim argutas et breves sententias, quæ mentes capiunt et « plus sensuum quam verborum habent ». Illam sententiam Varii Gemini qui dixerat, Ciceronem adhortatus

1. Hæc verba « sanguis » et « color » Tacitus et Quintilianus eo modo explanant. « Oratio, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est in qua non eminent venæ nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat. » (TAC., *Dial.*, 21.) — « Lacertos exercitatione constringere et augere vires et colorem trahere, naturale est. » (QUINT., *Inst. Orat.*, XII, 10, 44.)

2. SEN., *Cont.*, III, præf., 18. — 3. *Orat.*, 44.

ad fugam : « Illic esse M. Brutum, illic C. Cassium, illic Sextum Pompeium », unice mirabatur : « Quid deficiemus? Et res publica suos triumviros habet ¹. »

Quin immo ad nos a Seneca perfertur ² illum « summum Publili amatorem » fuisse, miratumque esse « illum versum quo aiebat unum versum inveniri non posse meliorem :

Tam dest avaro quod habet quam quod non habet;

et illum de eadem re dictum :

Desunt luxuriæ multa, avaritiæ omnia;

et illos versus qui huic quoque ter abdicato possent convenire :

O vita misero longa, felici brevis.

Quæ Cassius Severus apud alios miratur cum his, quæ ipse dicit, omnino congruere, non mirum est.

§ 6. De attico genere dicendi et Cassii Severi eloquentia.

Hanc verò Cassii Severi orationem quo plus inspicio, eo parte aliqua attico generi similiorem esse existimo.

I. *Quantum sequentes oratores atticos imitati sint. Quam parte aliqua Calvus et Cassius Severus inter se similes sint.*

Oratores attici apud sequentes plurimum valuerunt, atque a detrectatoribus Ciceronis maxime laudati sunt.

Attici autem tenuem, elegantemque et sanam orationem probabant; urbanam et amaram, ardentem et vehementem

1. SEN., *Suas.*, VI, 11. — 2. SEN., *Cont.*, VII, 18, 8.

eloquentiam consecrabantur; ornatam vero et amplam et copiosam aversabantur : Ciceronem igitur oderant et lacescere non desinebant. « Quem ¹ incessere audebant ut tumidiorem, et Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum et in compositione fractum, exsultantem, ac pæne viro molliorem. Præcipue vero presserunt eum qui videri Atticorum imitatores concupierant : hæc manus, quasi quibusdam sacris initiata, ut alienigenam parum studiosum devinctumque illis legibus insequebatur. »

Cicero tamen non inter Asianos ponendus est qui hoc « opimum ² et tanquam adipatæ dictionis genus » repudiaverat; atque simul Atticos ꝑ pressos ³ et integros, in quibus nihil superflueret, et Asianos inflatos et inanes, quibus iudicium maxime et modus deesset » insectabatur.

Imprimis autem in Atticos, qui illum quidem maxima vi lacessunt, invehitur.

Cur hi oratores appellantur attici? quem atticum imitantur? quomodo tam varios, tam dissimiles imitari possunt?

Quod primum Cicero contra illos disserit. Sunt enim Attici qui tenuitatem et elegantiam Lysiæ imitantur; sunt quoque Attici qui copiam et actionem Demosthenis sequuntur.

Secundo illos Cicero reprehendit quod non auditores capiant et moveant : orator autem, Atticus aut Asianus, imprimis animos flectat et corripiat necesse est. Hoc fieri solet, cum vere eloquentes dicunt; hoc non fieri solet, cum Attici surgunt qui, ut ait Cicero, a corona et ab advocatis relinquuntur.

1. QUINT., *Inst. Orat.*, XII, 10, 12-14. — 2. CIC., *Or.*, 9. — 3. QUINT., XII, 10, 16.

Horum omnium atticorum Calvus celeberrimus fuit, qui patrio odio Ciceronem insecutus est, et « diu ¹ cum illo iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit ».

De quo sic Cicero judicat. « Qui ² orator fuisset, cum litteris eruditior quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus : quod quanquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque ejus oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur. »

Quintilianus autem facilius « judicium ³ » et « sanctitatem ⁴ » Calvi laudat, et suo tempore fatetur hujus oratoris famam crevisse.

« Inveni ⁵ qui Calvum præferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse; sed est et sancta et gravis oratio, et castigata et frequenter vehemens quoque. Imitator autem est Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus fuit. »

Nonne igitur magnam habent inter se similitudinem, et Cassius Severus et ille Calvus qui « adstrictior ⁶ » a Tacito habetur, Ciceronique « exsanguis et aridus ⁷ » visus est?

Calvus enim « litteris eruditior »;

Cassius Severus « non inscitia litterarum ».

Calvus « accuratius quoddam dicendi genus et exquisitius afferebat genus, quod scienter eleganterque tractabat »;

Cassius Severus « orationem cultu valentem habebat,

1. SEN., *Cont.*, VII, 19, 6. — 2. *Brutus*, 82. — 3. *Inst. Orat.*, X, 2, 25. — 4. *Ibid.*, XII, 10, 11. — 5. *Ibid.*, X, 1, 115. — 6. *Dial.*, 25. — 7. *Ibid.*, 18.

phrasin non vulgarem nec sordidam, sed lectam; diligentiam ».

Calvus « verum sanguinem deperdebat »;

Cassius « plus vis quam sanguinis habebat ».

Calvo « sancta et gravis oratio »;

Cassio « censoria oratio ».

Quemadmodum Cassio ardens et concitatum genus dicendi erat, ita Calvi « vehemens oratio ».

Quemadmodum Cassius quasi rabiosa eloquentia Asprenatem insecutus est, ita Calvus maxima vi Vatinius reum fecit terque accusavit.

Risi ¹ nescio quem modo in corona
Qui cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait hæc manusque tollens :
Di magni, salaputium disertum !

« Usque eo ² violentus accusator et concitatus fuit, ut in media ejus actione surgeret Vatinius reus et exclamaret! *Rogo vos, judices, num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet? Solebat præterea excedere subsellia sua et impetu latus usque in adversariorum partem transcurrere. Compositio quoque ejus in actionibus ad exemplum Demosthenis riget : nihil in illa placidum, nihil lenè est, omnia excitata et fluctuantia. »*

Raro ille mitescit, quem sæpissime accusatorem omnes mirantur et timent.

« Hic tamen in epilogo quem pro Messio tunc tertio causam dicente habuit, non tantum leniter componit sed etiam dicit : « *Credite mihi, non est turpe misereri.* » Omnia in illo epilogo fere non tantum emollitæ compositionis sunt, sed infractæ. »

1. CAT., *Carm.*, 53. — 2. SEN., *Cont.*, VII, 19, 6-8.

Accusator quoque Cassius Severus timebatur.

Tacitus scribit : « Cassius Severus non pugnat, sed rixatur ».

Fronto ¹ scribit : « Calvus rixatur ».

Calvo et Cassio numerus et copia defuerunt.

Calvus has breves et argutas sententias amat, quæ effulgent, oculos perstringunt, et « plus sensuum quam verborum habent »; premit quæ ab aliis dilatarentur : inde vis major, oratio adstrictior, quæ doctis placet, a multitudine autem devoratur. « Factum ² ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt. »

« Non ergo ³ magis pecuniarum repetundarum, quam majestatis, neque majestatis magis quam Plautiæ legis, neque Plautiæ legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum judicia perierunt. »

Quas sententias et apud Cassium Severum et apud ceteros ejusdem ætatis oratores increbrescere, non ignoramus.

« Nescio qui conviciati sint; et puto stoicos fuisse. »

Calvus, ut noster Cassius Severus, adversarios figit et lædit, non solum in carminibus quæ « jocosa ⁴ sunt » et « amara ⁵ », sed etiam in orationibus.

« Perfrica frontem ⁶ et dic te digniorem, qui prætor fieres, quam Catonem. »

« Hominem ⁷ nostræ civitatis audacissimum, de factione divitem, sordidum, maleficum accusabo ».

Ne nos fugiat Cassii Severi « amaritudo ».

Quin immo hæc ornamenta, quibus postea oratio enituit, Calvus, quamvis Cicero atticis jure optimo siccitatem et jejunitatem et inopiam objiciat, non omnino contempsit et

1. *Epist.*, p. 114, ed. Naber. — 2. *QUINT.*, VI, 1, 13. — 3. *Inst. Orat.*, IX, 3, 56. — 4. *Cont.*, VII, 19, 7. — 5. *PLIN.*, *Epist.*, I, 16 : « Quantum amaritudinis ». — 6. *Inst. Orat.*, IX, 2, 25. — 7. *JUL. SEVERIANUS*, *Orat. Roman. frag.* Meyer, 202.

neglexit. « At hercle ¹ in omnium studiosorum manibus versantur accusationes quæ in Vatinium inscribuntur ac præcipue secunda ex his oratio : est enim verbis ornata et sententiis, auribus judicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quo minus sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. »

Denique Calvus Ciceronem odit, quem Cassius quidem Severus colere audet, a quo autem plerique oratores et declamatores ejus temporis secedunt.

Ex his apparet quantum sequentes oratores Calvum imitati sint : Non tamen illum omni ex parte imitari voluere aut potuere.

II. *Quid inter Atticos et Cassium Severum intersit.*

Ut autem tantum de nostro oratore dicamus, certe Cassius Severus non vere Atticus fuit qui « contempto ordine rerum, ommissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus, et studio ferendi plerumque dejectus » inepte et odiose et putide interdum loquitur, et qui « ex tempore coactus dicere infinito se antecedit ». Ille orator, cui modus deerat, violentior et ardentior erat ; amarior et asperior ; ornatior et cultu valentior quam ut attice dicere videretur.

Sed hoc multo majus est.

Calvus quidem et Attici veri oratores sunt, qui ad res veras se totos conferunt, et populum senatumve in foro aut in curia flectere conantur : quibus igitur non vacat vana et inania agere, nugis se et alios delectare, cultu poetico et nitore descriptionum judicem permulcere.

1. Tac., *Dial.*, 21.

Ceteri autem, qui tempore Augusti vixerunt, declamatores, inviti etiam, facti sunt, quippe qui a declamatoribus circumventi et laudati vivant : cum in rebus fictis detinentur, cum suasorias et controversias non solum adulescentes, sed juvenes et senes etiam tractant, et semper tractare pergunt, cum sæpius in ludis quam in foro declamant, scholastici inter scholasticos exstant, atque poetico exquisitoque decore percellere et corrumpere condiscipulos aut iudices coguntur : inde pulchriorem et ornatiorum orationem prosecuti sunt.

Quod si igitur suis virtutibus et vitiis Cassius Severus ab attico genere non multum abesse videtur, ab eodem contra abhorret quadam ratione quam in ludis usitatam invenit atque a ceteris declamatoribus sumpsit, id est illa immodica amplificatione, quam supra reprehendimus.

Vide hanc quasi puerilem congeriem, quæ sine dubio adulescentes et senes audientes delectavit. « Hinc¹ cæci innitentes baculis vagantur, hinc trunca brachia circumferunt, huic convulsi pedum articuli sunt et torti tali, huic elisa crura, illius inviolatis pedibus cruribusque femina contudit : aliter in quemque sæviens ossifragus iste alterius brachia amputat, alterius enervat, alium distortet, alium delumbat, alterius deminutas scapulas in deforme extundit et risum in crudelitate captat. Produc, agedum, familiam semivivam, tremulam, debilem, cæcam, mancam, famelicam ; ostende nobis captivos tuos. Volo mehercules nosse illum specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium. Sua cuique calamitas tanquam ars adsignatur : huic recta membra sunt et, si

1. SEN., *Cont.*, X, 33 : « Rei publicæ læsæ sit actio. Quidam expositos debilitabat et debilitatos mendicare cogebat ac mercedem exigebat ab eis. Rei publicæ læsæ accusatur. »

nemo obstet naturæ, proceritas micabit; ita frangatur ut humo se adlevare non possit, sed pedum crurumque resolutis vertebris reptet; huic extirpentur radicitus. Huic speciosa facies est; potest formosus mendicus esse; reliqua membra inutilia sint, ut fortunæ iniquitas in beneficia sua sævientis magis hominum animos pervellat. Sic sine satellitibus tyrannus calamitates humanas dispensat ¹. »

Quis tinnitus verborum! quæ immodica enumeratio et enormis congeries! « Neque ² oratorius iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est. » Vere « omittit modestiam et pudorem verborum ».

Hæc non est illa ampla et fusa oratio, quæ in numerum omnes sententias redigit, atque illa copia cujus Ciceronem principem et inventorem fuisse Cæsar aiebat; non est tamen illa subtilis et tenuis brevitatis, quam Attici probant, aut illa jejuna siccitas, quam illis Cicero objicit. Hæc est, fateamur, vera declamatio, in qua sine ullo modo et verba et sententiæ inter se concurrunt.

Conclusio ejus capituli.

Ut eorum quæ de Cassii Severi eloquentia disserui summam faciam, has tres diversas res apud illum mihi videre videor :

Primum, ingenium ad eloquentiam constitutum, omni eruditione imbutum, urbanum acerbumque et ardens; —

Deinde, genus dicendi, quod brevitate et acumine sen-

1. Hæc tamen Cassii Severi verba pressa, fervidaque et quodam modo misericordia commota plerisque declamationibus longe antecellunt.

2. Tac., *Dial.*, 26.

tentiarum, quadam jejunitate et inopia numeri, orationi Atticorum aliqua parte sæpissime simillimum est; —

Denique hunc quasi morbum scholasticum, quo omnia ingenia infecta erant, id est immodicam enumerationem et amplificationem atque inanem verborum congeriem.

CAPUT QUINTUM.

CASSIUS SEVERUS NON BONUS DECLAMATOR FUIT.

Quam libenter rhetor Seneca de Cassio Severo scripserit, vidimus. Cur autem tam magnificis verbis illum extollit? Non quidem ut oratorem meritis laudibus ornet, sed tantummodo ut miretur talem oratorem, tot virtutibus cumulatum, sibi imparem fuisse cum declamaret. Quæ res sola rhetoris animum commovet et confundit. Sic enim scribit principio procemii quod libro tertio anteit : « Quosdam disertissimos agnovi viros non respondentes famæ suæ cum declamarent, in foro maxima omnium admiratione dicentes, simul ad has domesticas exercitationes secesserant desertos ab ingenio suo. Quod accidere plerisque æque mihi mirum quam certum est. Memini itaque me a Severo Cassio quærere cur in declamationibus eloquentia illi sua non responderet. In nullo enim hoc fiebat notabilius. »

Hæc est causa cur de eloquentia Cassii Severi satis abunde disserat. Deinde ex his quæ explanavit sic colligit. « Omnia ¹ ergo habebat quæ illum ut bene declamaret instruerent. *Tamen* non tantum infra se cum declamaret, sed infra multos erat. »

1. *Cont.*, III, præf., 7.

Neque mirum est id rhetori Senecæ mirum videri. Scimus enim quanta insania, quod attinet ad eloquentiam, hæc ætas laboraverit, scimusque hanc intemperantiam declamationum et recitationum non ad breve tempus duravisse. Plinius quidem queritur quod « ad audiendum ¹ pigre coitur », illosque laudat et probat « quos a scribendi recitandique studio hæc auditorum vel desidia vel superbia non retardat ». Ipse vero quantis laudibus declamatorem Isæum extollit! Quid aliud dixisset de Cicerone aut Demosthene? « Magna ² Isæum fama præcesserat, major inventus est. Summa est facultas, copia, ubertas : dicit semper ex tempore, sed tanquam diu scripserit. Procæmiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè; postremo docet, delectat, afficit; quid maxime, dubites. » Hunc senem scholasticum probare non dubitat, nedum derideat; has fictas controversias laudat, quia fictæ sunt, nec animi simplicitatem corrumpunt. « Annum sexagesimum excessit et adhuc scholasticus tantum est; quo genere hominum nihil aut sincerius aut simplicius aut melius. Nos enim qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium et ficta causa res inermis, innoxia est, nec minus felix, senibus præsertim. Nam quid in senectute felicius quam quod dulcissimum est in juvenia? » Quam autem vehementer Plinius præteriti temporis desiderio affligitur, in quo Claudius Cæsar ³, clamoribus auditis, subitus Noniano recitanti inopinatusque venerat!

Tunc enim, imprimisque sub Augusto, cum declamatio recens esset, nondum hujus rei satietatē animi afficiebantur, sed contra novitate delectabantur. Itaque ob eam

1. *Epist.*, I, 43. — 2. *Ibid.*, II, 3. — 3. *Epist.*, I, 43.

causam, obque alias, quas supra explicavi, omnes fere oratores, neglecta vera eloquentia, ad declamationem rue- rant, quæ, mirum dictu, non exercitatio, sed ipsa elo- quentia habita fuit.

Attamen ex quibusdam factis intellegi potuisset suasorias et controversias non eloquentiam fori esse, declamatio- nemque a veritate multum abhorrere.

Seneca ipse hoc ridiculum Albuccii narrat ¹ « tristis, sol- liciti declamatoris et de dictione sua timentis etiam cum dixisset, quem hæc sollicitudo fugavit a foro et tantum unius figuræ crudelis eventus ». Nam schema dixerat, quod adversarius non quasi figuram acceperat, atque in seriam condicionem verterat. « Non tulit hanc contumeliam, num- quam amplius in foro dixit. Delectabat illum in declama- tionibus quod schemata sine periculo dicebantur. »

O quales oratores qui unius figuræ eventu fugantur, et innoxia schemata veræ eloquentiæ præferunt!

Non autem ignorat Quintilianus quam declamatio dissi- milis sit eloquentiæ, narratque quid Porcio Latroni acci- derit. « Cum ei ², summam in scholis opinionem obtinente, causa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur. Ita illi cælum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. »

Inde patet quam sit inanis hæc declamatoria eloquentia, quæ vera discrimina et verum solem reformidat; inde patet has exercitationes falsas atque etiam contrarias qui- busdam rhetoribus videri.

Quid quod Seneca ipse fatetur declamationem sibi tædio fieri? quid quod hujus tædii fere causam introspicit, cum existimat hanc rem non seriam esse? « Fatebor ³ vobis,

1. *Cont.*, VII, præf., 6-8. — 2. *Inst. Orat.*, X, 5, 17-18. — 3. *Cont.*, X, præf., 1.

jam res tædio est. Primo libenter adsilui velut optimam vitæ meæ partem mihi reducturus : deinde me jam pudet tanquam diu non seriam rem agam. Hoc habent scholasticorum studia : leviter tacta delectant, contrectata et propius admota fastidio sunt. »

Non solum quosdam rhetores, sed etiam quosdam declamatores et oratores declamationis tædium ceperat. Quam rem duo imprimis vehementer laccessiverunt, id est Montanus Votienus et Cassius Severus.

Montanus Votienus ¹, « celebris ingenii vir », « homo rarissimi etiamsi non emendatissimi ingenii », « adeo nunquam ostentationis declamavit causa ut ne exercitationis quidem declamaverit. Rationem quærenti mihi ait : Ne male adsuescam. Qui declamationem parat, scribit non ut vincat sed ut placeat. Omnia itaque lenocinia conquirit; argumentationes, quia molestæ sunt et minimum habent floris, relinquit; sententiis, explicationibus audientis deliniri contentus est. Cupit enim se approbare, non causam. Sequitur autem hoc usque in forum declamatores vitium, ut necessaria deserant dum speciosa sectantur. Accedit etiam illud quod adversarios quamvis fatuos fingunt : respondent illis et quæ volunt et cum volunt. Præterea nihil est quod errorem aliquo damno castiget; stultitia eorum gratuita est... In foro ipsum illos forum turbat. Usque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, cælum denique pati nesciant. Non est autem utilis exercitatio nisi quæ operi simil-

1. Votienus et ipse a Tiberio relegatus erat. • Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illuc a Tiberio relegatus. » (Eus. Chron., 27 post Christ.) — « Habita per illos dies de Votieno Montano, celebris ingenii viro, cognitio.... Postulato Votieno ob contumelias in Cæsarem dictas... Majestatis pœnis affectus est. » (Tac., Ann., IV, 42; 25 post Christ.)

2 SEN., Cont., IX, 28, 15. — 3. Cont., IX, præf.

limā est in quod exercet; itaque durior solet esse vero certamine.... In scholasticis declamationibus contra evenit: omnia molliora et solutiora sunt. In foro partem accipiunt, in schola eligunt; illic iudici blandiuntur, hic imperant. Itaque velut ex umbroso et obscuro prodeuntēs loco claræ lucis fulgor obcæcat, sic istos a scholis in forum transeuntes omnia tanquam nova et inusitata perturbant nec ante in oratorem corroborantur quam multis perdomiti contumeliis puerilem animum scholasticis deliciis languidum vero labore durarunt. »

Sic igitur omnia vitia declamationis et declamatorum Votienus clare perspicit intellegitque, quia hanc rem tantum esse exercitationem scholasticam, oratores autem ad eloquentiam fori natos esse, recte existimat.

Cassius Severus et ipse ad vitam actuosam, ad veram eloquentiam natus erat, non ad hanc falsam rerum imaginem, ad hæc inania simulacra, ad hanc umbram, a qua scholastici non sine periculo discedebant. Ille non foro turbabatur nec clamorem, silentium, risum, aut cælum reformidabat. His enim ornatus virtutibus, quas supra laudavimus, vi et ingenio, et urbanitate, et acerbitate, vir præsentis animi, quippe qui « ex tempore coactus dicere infinito se antecederet », verus orator a nobis jure habetur.

In quadam suasoria, in qua Cicero deliberabat an Antonium deprecaretur, Varius Geminus Ciceronem hortatus est non ad mortem aut deprecationem, sed ad fugam. « Maxime ¹ illum in Asiam et in Macedoniam hortatus est in Cassi et in Bruti castra. Itaque Cassius Severus aiebat alios declamasse, Varium Geminum vivum consilium dedisse. »

1. *Suas.*, VI, 11.

Inde nobis clare apparet Cassium Severum quam maxime ad viva consilia, ad res veras aut proximas vero flectere, somniis autem et vanis imaginibus et inani cogitatione deflectere. Namque antiqui fori desiderio affligebatur, in quo sine dubio floruisset, plausuque frequentis populi comprobatus esset; antiquam libertatem non esse moleste ferebat. Quamobrem tam acerbe viros feminasque illustres laniabat, novumque rerum statum incessebat. Forum autem sua tempestate, quod saltē forum erat, causasque centumvirales, quæ saltē veræ causæ erant, ludis rhetorum et scholasticis exercitationibus multo præferebat.

Quas tamen exercitationes non omnino neglegebat, quia tunc declamatio vigeat oratoresque insignes reddebat; quia sine illa maximi minus illustres videbantur. Sed invitus, sine studio, sine voluptate, cum aliquo pudore de foro in scholam concidebat. « Itaque ¹ raro declamabat et non nisi ab amicis coactus. » Hoc mirum Senecæ videbatur : illi « quærenti ² quare in declamationibus impar sibi esset, hæc Cassius Severus aiebat : Quod in me miraris pæne omnibus evenit. Magna quoque ingenia, a quibus multum abesse me scio, quando plus quam in uno eminenter opere? Miraris eundem non æque bene declamare quam causas agere aut eundem non tam bene suasorias quam judiciales controversias dicere? » Hoc tamen persæpe fit. « Magna et varia res est eloquentia neque adhuc ulli sic indulsit ut tota contingeret; satis felix est qui in aliquam ejus partem receptus est. »

Certe is est firmi et acuti iudicii qui eloquentiam rem esse maximam et difficillimam existimet, non vere puerilem et vanam exercitationem; qui tantam varietatem

1. SEN., *Cont.*, III, præf., 7. — 2. *Id.*, *ibid.*, 8-18.

ingeniorum et in una materia perspiciat. Quæ tamen non erat causa cur Cassius Severus tantum infra se esset cum declamaret.

Non optime declamat quia odit et contemnit declamationem, quia illam inanem, inutilemque et supervacuum rem esse putat; quia detestatur supervacua et devitat; quia veram causam agere, cum vero adversario pugnare vehementer cupit. « Ego tamen et propriam causam videor posse reddere : adsuevi non auditorem spectare sed iudicem; adsuevi non mihi respondere sed adversario; non minus devito supervacua dicere quam contraria. In scholastica quid non supervacuum est, cum ipsa supervacua sit. » De hac scholastica declamatione nullus unquam durius et justius opinatus est. Hujus autem iudicii rationem reddit, cum hæc addit : « Indicabo tibi affectum meum : cum in foro dico, aliquid ago; cum declamo, id quod bellissime Censorinus aiebat de his qui honores in municipiis ambitiose peterent : videor mihi in somniis laborare. »

Quid quod dilucide intellegit et ostendit quantum declamatio scholastica ab eloquentia forensi absit? Ut ludus et arena, ut umbra et sol inter se differunt. « Deinde res ipsa diversa est : totum aliud est pugnare, aliud ventilare. Hoc ita semper arbitratum est scholam quasi ludum esse, forum arenam; et ille ideo primum in foro verba facturus tiro dictus est. »

Ex quo rectissime effici vult ut sæpissime clarissimi declamatores mediocres fiant oratores. « Agedum istos declamatores produc in senatum, in forum : cum loco mutabuntur, velut adsueta clauso et delicatæ umbræ corpora sub divo stare non possunt. Non imbrem ferre, non solem sciunt; vix se inveniunt; adsuerunt enim suo arbitrio disertis esse. »

De se ipso cogitabat cum hæc verba adderet. « Non est quod oratorem in hac puerili exercitatione spectes. Quid si velis gubernatorem in piscina æstimare? »

Non fuit autem solus qui, cum declamaret, infra se aut infra alios esset. « Diligentius me tibi excusarem tanquam huic rei non essem natus; nisi scirem et Pollionem Asinium, et Messalam Corvinum, et Passienum qui nunc primo loco stat minus bene audiri quam Cestium aut Latronem. Utrum ergo putas hoc dicentium vitium esse an audientium? Non illi pejus dicunt, sed hi corruptius judicant. » Scias « in declamationibus tantum non aliud genus hominum esse. Si comparari illis volo, non ingenio mihi majore opus est, sed sensu minore. Itaque vix jam obtineri solet ut declamem; illud obtineri non potest ut velim aliis quam familiarissimis audientibus. Et ita faciebat, ait Seneca. Declamationes ejus inæquales erant. »

Ex iis facillime nosmet hoc colligere possumus: quemadmodum e declamatore rarissime fit orator, ita ex oratore minime sæpe declamator: quod Cassio Severo evenit.

Dum Seneca miratur hunc oratorem, tantis virtutibus ornatum, mediocrem fuisse declamatorem, non contra mirum esse putamus hunc oratorem, quia verus orator fuit, mediocrem in declamationibus fuisse.

CONCLUSIO.

Verus enim fuit orator Cassius Severus, non autem declamator : sic eum nobis ostendunt et Seneca, et Quintilianus, et Tacitus. Cujus tamen in dicendo facultatem non omnino perspicere possumus, ex iis quæ supersunt ¹ : illius enim Quintilianus breves sententias protulit, Seneca quidem longiores locos, sed tantummodo e suasoriis et controversiis sumptos, memoria retinuit : scimus autem illum in declamationibus mediocrem fuisse.

Hunc virum tamen, ut cum maxime, animo effingamus et quasi oculis proponamus, qui suis inimicis adversariisque libellis et orationibus terrori fuit, atque gravissimas pœnas suæ acerbitalis pependit.

Vel potius ne jam animo complectamur hunc procacem scriptorem « sordidæ originis, maleficæ vitæ ² », qui viros feminasque illustres famosis libellis diffamaverat, et immodicas inimicitias susceperat; sêd oratorem egregium, qui in foro surgebat, et desiderio hujus antiqui temporis flagrabat, quo incendere populum et regere senatum eloquentia sua potuisset.

Illum igitur nobis fingamus : corporis magnitudine conspicuus, vocis suavis et valentis, animi semper præsentis, facillime ex tempore dicit, paratissime respondet, in altercando neminem parem invenit; iratus commodius subita expedit; adversarios, qui ipsum interpellent, ad pigendum inducit.

1. Vide Append. — 2. Fortasse sunt duriora hæc verba Taciti.

Populum quidem ille actione et vi, et vehementia, et fervore, et acerbitate allicit et rapit; « in sua potestate audientium affectus habet; rerum potitur ».

Doctos vero varietate eruditionis et lepore urbanitatis, et diligentia, et cura delectat.

Certe quibusdam vitiis non vacat: nempe immodicus, est; ordinem rerum contemnit; scholastico modo res sæpissime amplificat; copia et numero sæpius in oratione sua caret: hæc autem vitia, illius tempore vigent et increbrescunt.

Omnes denique suæ ætatis æquales genere dicendi lecto et ornato, « non vulgari nec sordido, non remisso aut languido, sed ardenti et concitato »; argutis et splendidis sententiis permulcet.

Non igitur mirandum est si rhetor Seneca eum tantis laudibus extollat, si Quintilianus et Tacitus eum tanti faciant.

Quæ cum ita sint, quæramus: — si totam eloquentiæ latinæ historiam complectimur, — quem locum Cassius Severus obtineat.

Eloquentiam romanam in tres diversas ætates dividere licet.

Prima ætate, Cato, rudis et incultus, et impolitus, — si illum Crasso et Hortensio comparamus, — sed vehemens et vere disertus viget.

Secunda, floret Cicero, præstantissimus et perfectissimus, facile princeps, suis egregiis virtutibus, romanorum oratorum: cui tamen suo tempore « obtrectatores¹ non defuerunt, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens, et parum atticus videretur. »

Tertia denique, Cassius Severus, qui aliqua parte atticos

1. TAC., *Dial.*, 18.



sequitur, principatum tenet : « Quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis solent, Cassium Severum, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad aliud dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. » — « Sequentibus comparatus, multum ceteros superat. »

Sine dubio, fatendum est, quamvis in illa tertia ætate eloquentiæ romanæ principem locum obtineat, Catoni Ciceronique maxime impar est, et ingenio, et temporibus et ob illam declamationem, quæ in locum eloquentiæ succedit. Ne tamen obliviscamur Cassium Severum non hujus declamationis scholasticæ amatorem fuisse, cui forensem eloquentiam multo, et jure, præferebat.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,
A. d. XVII, kal. mai. ann. MDCCCXC :
*Facultatis litterarum in Academia
Parisiensi Decanus,*
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.



APPENDIX PRIMA

(Vide pag. 39.)

« L'unité du genre humain, l'égalité des hommes et par suite l'équité dans l'État, l'égale dignité de l'homme et de la femme, le respect des droits respectifs des conjoints et de ceux des enfants, la bienveillance, l'amour, la pureté dans la famille, la tolérance et la charité envers nos semblables, l'humanité dans toutes circonstances et même dans la terrible nécessité de punir de mort les criminels dangereux et incurables : voilà le fonds d'idées qui remplit les livres des derniers stoïciens. Mais les philosophes n'auraient pas suffi pour propager partout ces doctrines et pour en pénétrer la société, *s'ils n'avaient trouvé d'utiles auxiliaires dans les sophistes grecs et dans les déclamateurs latins*. Il est constant qu'en mettant sans cesse en question le pouvoir du père de famille, qu'en revendiquant ou la liberté du fils ou les droits de la femme et de la mère, *ils agitaient des questions vivantes, qui faisaient dans ce moment même l'objet des méditations et des travaux des jurisconsultes*. » (Denis, p. 191-3.)

APPENDIX SECUNDA

(Vide pag. 81.)

Adde his, quæ Seneca et Quintilianus proferunt, aliquot verba quæ grammatici latini retinuerunt. (Grammaticæ latinæ auctores antiqui. Edit. Hélias Putschius, 1605.)

Charisius, pag. 80. — Gausapa neutraliter dixit :

Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba.

Et Cassius Severus ad Mæcenatem : Gausapo purpureo salutatus.

Diomedes, p. 368. — Quinta forma est quæ desinit in xi syllabam, ut sancio sanxi. Sed novitas brevitatis causa cuncta permiscuit, quippe sancio sancii faciebat ut Pomponius ad Thræseam : sancierat; et in passivo Cassius Severus : Lege sancitum est, inquit.

P. 371. — Salitus sum dixerunt a positione sallo, non salio. Severus : Distractos atque salitos.

Priscianus, lib. VIII, p. 791. — Cassius : Adulatique erant ab amicis et adhortati : adulati, *κολακευθέντες*, adhortati, *προτραπέντες*. Liber VII, p. 759. — Cassius ad Mæcenatem : Gausapo purpureo salutatus.

Priscianus, lib. IX, 872, et *Diomedes*, pag. 370. — Sed et in sacrificio Cassius ad Tiberium secundo, *adolevit*, inquit. « Sic est contra Ægyptiis maximum sacrificium ubi integrum anserem adoleverunt. »

INDEX

PROCEMIUM.....	1
----------------	---

CAPUT PRIMUM

DE CASSII SEVERI VITA ET DE LOQUENDI AC SCRIBENDI APUD ROMANOS LIBERTATE.....	3
--	---

CAPUT SECUNDUM

CUR ORATORES ET RHETORES ANTIQUÆ REI PUBLICÆ DESIDERIUM TENEAT. DE SCHOLIS QUÆ LIBERTATEM DOCENT ET COMMEMORANT.....	17
---	----

CAPUT TERTIUM

DE ELOQUENTIA QUÆ ETATE CASSII SEVERI FLORUIT. DE ARTE DECLAMATORIA ET DECLAMATORIBUS.....	25
§ 1. Num eloquentia illo tempore fuerit et esse potuerit. Quid de arte declamatoria Tacitus, Petronius, Quintilianus et rhetor Seneca senserint.....	26
§ 2. Quomodo declamationes defendi possint.....	29
§ 3. Quid novi ars declamatoria attulerit.....	32


CAPUT QUARTUM


DE CASSII SEVERI ELOQUENTIA.....	40
§ 1. Quanti Cassium Severum Seneca, Quintilianus et Tacitus fecerint.....	40
§ 2. Quæ Cassii Severi oratoris virtutes fuerint.....	42
§ 3. Quæ Cassii Severi oratoris vitia fuerint.....	54
§ 4. De genere dicendi.....	58
I. Quod genus dicendi in Cassii Severi etate floruerit.....	58

II. Sententiæ. Genus dicendi lectum et concitatum, nec copiosum nec numerosum	61
§ 5. Quæ Cassio Severo placuerint	63
§ 6. De attico genere dicendi et Cassii Severi eloquentia	64
I. Quantum sequentes oratores atticos imitati sint. Quam parte aliqua Calvus et Cassius Severus inter se similes sint	64
II. Quid inter Atticos et Cassium Severum intersit	69

CAPUT QUINTUM

CASSIUS SEVERUS NON BONUS DECLAMATOR FUIT	73
CONCLUSIO	81
APPENDICES	85
INDEX	87









Lc 24.30
De Cassii Severi eloquentia ...
Widener Library 006447394



3 2044 085 187 888